

II. MAGISTER NOVITIORUM [1599]

- 1599.- 1572: Et D.N. habeat officium Sacristae, et habeat cu-
 ---- ram Novitiorum cum venerint. (In Domo Astensi - Pr. Lombar-
 diae propinquioris).
- 1600.- 1583: Et D.N. junior non promotus educatur de reclusio-
 ---- ne et sequatur Conventum novitius sub disciplina et insti-
 tutione sui magistri usquedum ad meliorem frugem se conver-
 terit arbitrio Prioris et antiquiorum. (In Domo de Paulari -
 Pr. Castellae).
- 1601.- 1723: Et D.N. in Domo Padulae exerceat officium Magis-
 ---- tri Juniorum Monachorum et Novitiorum claustrum. (Pr. Sancti
 Brunonis). (Ergo Juniores Monachi remanebant sub tutela
 Magistri, et ita fiebat in Cartusia, ut ait D. Ephrem Cou-
 tarel).

=====

MEDICINA: (Vide etiam: 280)

- 1602.- 1222: Medici qui sunt in Ordine nostro, secundum consue-
 ---- tudinem Ordinis, medicinam exercere non debent. Eapropter
 volumus ut accedentibus infirmis, dicant quod de hujusmodi
 se intromittentes, Capitulum reprehendit.
- 1603.- 1296: Inhibemus D. Joanni de Brollo, qui est in Domo Al-
 ---- lionis, ne de caetero de medicina se intromittat, nisi for-
 sitan in seipso; et si Visitatores invenirent eum inobedien-
 tem in hac parte, alibi illum mittant. (In Sabaudia)/
- 1604.- 1438: Et D.N. de practica medicinae quam secundum jura
 ---- et Statuta nostra exercere non debet, sibi sub poena car-
 ceris penitus interdiciamus. (In Domo Herbipolis - Pr. Alema-
 niae Inferioris).
- 1605.- 1478: Et D.N. Vicarius Domus Allionis amodo non intro-
 ---- mittat se de medicinis ministrandis, et ex causa. (Pr. Ge-
 bennensis).
- 1606.- 1530: Et D.N. in Domo prope Stetin, qui contra prohibi-
 ---- tionem Visitatoris Provinciae occupat se in arte medica
 sibi et sibi similibus illicita, et medicamina utriusque
 sexus hominibus ordinat in confusionem Ordinis et Domus suae
 turbationem et expensas, ideo praecipimus quod a talibus abs-
 tineat et quae sunt vocationis suae tractet... (Pr. Saxoniae).
- 1607.- 1531: Et D.N. realiter se emendet, artemque medicinae
 ---- omittat. (In Domo in Grünaw - Pr. Alemaniae Inferioris).

[1608] MEDICINA

1608.- 1568: D.N...in Domo Monachorum et caeteris personis Or-
==== dinis, sub poena carceris ad formam juris et Statutorum,
prohibemus ne amodo exercent artem medicinae, neque chirur-
gi, super quo Visitatoribus districte injungitur ut invigi-
lent, et si quos invenerint in hoc inobedientes, rigide pu-
niant. (Pr.Theutoniae).

1609.- 1571: Et D.N...abstineat amodo exercere artem chirurgi-
==== cam et medicinam sub poena carceris, quam Visitatores sine
mora, si non se emendaverit, mandent executioni. (In Domo
Lyrae - Pr.Theutoniae).

1610.- 1637: Et D.N...omnino abstineat ab usu et studio medici-
==== nae. (In Domo Portae Coeli - Pr.Cathaloniae).

=====

MINISTERIUM: (Ab omni ministerio abstinemus):

1611.- 1578: Illud etiam in virtute sanctae obedientiae inhibe-
==== mus universis ne amplius sit quisquam ex personis Ordinis
nostri qui audeat praeterquam in casibus expressis in Statu-
tis et jure communi ministrare sacramenta Ecclesiastica ullo
modo saecularibus aut aliis non subditis, aut levare infan-
tem de sacro fonte, aut alia ejusmodi in quibus saepe incurri-
tur excommunicatio et irregularitates, et scandala multa eve-
niunt, quae facile vitat qui manet in simplicitate sui Ordinis.

1612.- 1370: Inhibetur illis de Sancto Martino de Neapoli ne re-
==== cipiant curam illius hospitalis de quo scripserunt, cum hoc
sit contra nostri formam propositi. (Pr.Lombardiae remotioris)

1613.- 1426: Priori Domus Brunae non fit mia et seriose eum ad-
==== monemus, prohibentes ne amodo se de visitatione domorum
aliarum Religionum minime intromittat, quoniam nec Ordinis
nec ejus paci, quieti vel honestati congruere judicamus, et
de duobus Monachis Domus Pragensis apud ipsum hospitantes,
quos crebro et sine rationabili causa exire audivimus, Visi-
tatoribus committimus disponendum. (Pr.Alemaniae Superioris)

1614.- 1443: Et licentia quam petunt (in Domo Vallis Clarae),
==== videlicet quod Prior valeat transmittere unum religiosum
ad celebrandum temporibus opportunis in quadam capella ipso-
rum de Burdegalis fuit jam anno praeterito Procuratori dic-
tae Domus denegata, quam etiam de praesenti denegamus.
(Pr.Acquitaniae).

[1614] MINISTERIUM

- 1615.- 1445: Revocamus confirmationem administrationis ejus-
 ---- dam hospitalis per D.N... Monachum Domus de Paulari fun-
 dati; praecipimus in virtute sanctae obedientiae Priori
 praefato et ejus Conventui, quatenus de praefato hospitali,
 ne de ejus administratione, directe vel indirecte, quorum-
 cumque etiam Magnatorum suggesta nullatenus se intromit-
 tant, quod volumus a praefatis Priore et Conventu pro tem-
 pore futuro inviolabiliter observari. (Pr. Castellae).
- 1616.- 1473: Et de Missis legendis in Ecclesia parochiali jux-
 ---- ta Monasterium prope Lübeck committimus Visitoribus Pro-
 vinciae, proviso quod observent Statuta. Praedicare autem
 publice est contra morem Ordinis. Et Conversi ibidem pro
 cappis utantur grosso et griseo panno patriae. (Pr. Saxoniae)
- 1617.- 1508: Et quia Prior Domus in Hul indiscrete misit Procu-
 ---- ratorem et Vicarium suum ad exequendas censuras ecclesias-
 ticas in quadam ecclesia parochiali, unde exortum est scan-
 dalum non modicum in populo in dedecus Ordinis, idcirco sit
 extra sedem suam per unum mensem in Ecclesia. Et Vicarium
 et Procuratorem hujusmodi propter eandem causam a suis of-
 ficiis absolvimus. (Pr. Angliae).
- 1618.- 1514: Nullo modo neque est licitum Priori ornamenta al-
 ---- tarium pro extraneis consecrare. (In Domo in Gyrio -
 Pr. Alemaniae Superioris).
- 1619.- 1519: Et cum dudum statuto perpetuo et irrefragabili
 ---- ordinatum fuerit ne ex tunc in Ordine nostro Domus Monia-
 lium recipiantur, ad evitanda scandala quae in talibus eve-
 nire possent, sed tantum cura nobis sufficeret susceptarum;
 propterea Priori moderno Domus Mediolani in virtute sanctae
 obedientiae et sub poena absolutionis, praecipimus, injun-
 gimus et mandamus quatenus juxta jam alias verbo injuncta
 et praecepta absoluto Priori, licet hucusque neglecta, om-
 ni ulteriori dilatione aut excusatione cessantibus, procu-
 ret apud Sanctissimum Dominum nostrum Papam et Sanctam Se-
 dem Apostolicam exonerari et omnino liberari a sibi impo-
 sita et per eum a paucis annis citra suscepta contra volun-
 tatem Ordinis et tenorem dictae Ordinationis cura et regi-
 mine Monasterii Monialium Sanctorum Philippi et Jacobi,
 Ordinis Sancti Benedicti, extra muros Mediolani in porta
 Cumana. (Pr. Lombardiae propinquioris).
- 1620.- 1563: Et quia Statuto irrefragabili Patres nostri ordi-
 ----naverunt regimen mulierum amplius in Ordine nostro non es-
 se suscipiendum cum jam tunc susceptarum sufficiebat, nunc
 vero experientia docet, gravat et exeruciat interdum, dic-

[1621] MINISTERIUM

tis Visitoribus et Prioribus sic in unum et in uno spiritu congregatis committimus et mandamus quatenus visis et examinatis litteris Summi Pontificis super regimine, visitatione et gubernatione mulierum poenitentium in Valentia impositis Priori Portae Coeli videant et considerent quam grave onus impositum sit eidem Priori Portae Coeli, quid mali periculi et scandali nunc vel in posterum accidere possit. Deinde quae- rant mature et consulte modum et medium quo hujusmodi onus grave alteri in civitate vel prope et viciniore imponatur et Domus Portae Coeli et Ordo ab hujusmodi eximantur. Et de his quae invenerint et fecerint Reverendum Patrem Cartusiae informare studeant. (Pr. Cathaloniae).

1621.- 1587: Et Prior Domus de Covis caveat admittere onus eleemosynae dispensandae sibi et cuidam Abbati commissae, quod si jam susceperit, deponat si fieri possit. (Pr. Castellae).

1622.- 1589: Et D.N...praecipitur ut a pastoratu desistat, quem contra jura moremque Ordinis administrat; cui de alia Domo; pro Visitoris prudentia, provideatur. (In Domo Sophiae - Pr. Theutoniae).

1623.- 1607: In Domo Montis Rivi: Committimus Visitoribus Provinciae ut relinquunt curam sacelli Nostrae Dominae de Consolatione oppidanis d'Yeres. (Pr. Provinciae).

1624.- 1631: Prior Domus Novae Cellae in Grünaw curam parochiarum committat sacerdotibus saecularibus, juxta dispositionem Patris Visitoris. (Pr. Alemaniae Inferioris).

1625.- 1687: Visa petitione Illustrissimi Senatus Majoricensis circa licentiam dandam D.N...pergendi Romam ut ibi prosecutionem canonizationem unius sanctae, optaret Capitulum Generale posse acquiescere propter reverentiam petentium, quos in omnibus possibilibus singulari veneratione prosequi intendit. At res ista, spiritui, praxibus et Statutis Ordinis sic opposita est ut non possit concedi absque notabili damno observantiae nostrae; quapropter committimus Patribus Visitoribus ut nos excusent apud praefatos Illustrissimos proceres, pro quorum sospitate, necnon pro totius Regni prosperitate Deum rogabimus. (Pr. Cathaloniae).

1626.- 1794: Intra tres menses Prior Domus Berezae (in Polonia) dimittat parochiam, quae fuit causa omnium dissidiorum; dimittat autem illam vel per resignationem, vel per simplicem dimissionem, juxta jura Regni. Tribus his mensibus elapsis, si non facta sit resignatio, vel cessio parochiae, declaramus Priorem absolutum ab officio suo. (Pr. Alem. Sup.).

II. MINISTERIUM [1627]

1627.- 1924. Ord.6: ...Quum ipsa Sancta Sedes declaraverit in-
 congruum esse quod Cartusiani, posthabita contemplatione,
 exteriori animarum ministerio curas vitamque impendant, ex-
 presse volumus ut Monachi Trisultini e Fossae-Novae monas-
 terio recedant, ac in favorem Sedis Apostolicae illis juri-
 bus renuntient, quae forsitan, post ultimam spoliationem,
 possent adhuc sibi remanere. (Pr. Italiae).

MINUTIONES: (Vide etiam: 281-282)

1628.- 1461: Et super eo quod Prior et Conventus Domus in Ru-
 remunda petunt sibi concedi circa observantiam dierum Mi-
 nutionum Generalium, remittimus eos ad Statuta et consuetu-
 dinem generalem Ordinis. (Pr. Rheni).

1629.- 1507: Et inhibemus ne Monachi Domus in Scotia tempore
 Minutionum ad hortum illum ad quem hactenus juxta civi-
 tatem exire consueverunt amplius exeant.

1630.- 1560: In Domo Sophiae: Et quoad spatiammentum per Reveren-
 dum Patrem Cartusiae super annum concessum Conventui, prae-
 sente Priore, declaratur ad formam Statuti et Ordinis esse
 intelligendum, ut secunda vel tertia die Minutionum semel
 tantum ad discretionem Prioris liceat gaudere dicto spatia-
 mento, mandantes, juxta ordinata Chartae Capituli Generalis
 anni 1528, ut Divinum Officium tam diurnum quam nocturnum
 diebus Minutionum Ordinis ea gravitate et devotione cele-
 bretur qua caeteris diebus super annum decantatur, Statuto
 non obstante. Committimus etiam Visitoribus ut in dicta
 Visitatione, dictum spatiammentum possint moderari et decla-
 rare sicut viderint expedire, et si interim vel post con-
 tingat aliquem abusum fieri sive aliud quod non deceat, ex
 nunc prout ex tunc et e contra, priventur ipso spatiammento.
 (Pr. Theutoniae).

1631.- 1772: Et in tota Provincia Castellae servetur ad litte-
 ram n.2, Cap.XI, Iae Partis Statutorum, etc...de Minutio-
 nibus. Et Monachi sint contenti cum refectionibus et recrea-
 tionibus solitis; et abusum in quibusdam Domibus a multo
 tempore introductum, mittendi sortes inter Monachos primo
 Minutionum die super varias res ad eorundem usum destinatas,
 tanquam paupertati, et abnegationi nostrae, contrarium, om-
 nino prohibemus.

II. MINUTIONES [1631]

[1632] MIRAFLORES

MIRAFLORES:

1632.- 1453: Ordinamus contemplatione Serenissimi Domini Regis
==== Castellae et suae devotionis ut amodo sic nominetur prae-
fata Domus Beatae Mariae de Miraflores, videlicet Beatae Ma-
riae et non Beati Francisci. (Pr.Castellae).

=====
MISERICORDIA:(Vide etiam: 283)

1633.- 1477: Et injungimus Priori absoluto in Domo Londoniarum
==== ut quomocumque studeat se conformare caeteris Conventua-
libus in tenendo cellam et claustrum et caeteras observan-
tias Ordinis, et districte injungimus eidem ut illico red-
dat rationem suo successori et Conventui de sua administra-
tione quam gessit. (Pr.Angliae).

1634.- 1449: Et D.N...alias ab officio Prioratus absoluto dis-
==== ciplinam sibi in Capitulo penultimo sibi impositam miseri-
corditer relaxamus, ipsum in gradum pristinum reponentes. Et
si, quod absit, in futurum laxaret more solito linguam suam,
in eandem disciplinam reincidat ipso facto. (In Domo in Ax-
pach - Pr.Alemaniae Superioris).

1635.- 1483: Priori Domus Majoricarum fit mia, et praeficimus
==== in Priorem dictae Domus D.N...a Prioratu dictae Domus do-
lose absolutum. (Pr.Cathaloniae).

1636.- 1487: Priori Domus Siligniacci fit mia propter nimium se-
==== nium et debilitatem. Et cella in qua stat pro sua consola-
tione sibi remaneat et Donatus sibi semper serviat et sibi in
cunctis deferatur sicut Priori prout bene meruit. (Pr.Burgun-
diae).

1637.- 1579: Et D.N...silentium imponimus super querelis quas
==== praetendit adversus eos qui eum amoverunt ab officio Prio-
ratus. (In Domo Mediolani - Pr.Lombardiae propinquioris).

1638.- 1663: Et dispositiones in Domo de Xeritio factas anno
==== praeterito post Capitulum a D.N...tunc Priore illius, ha-
bita privata notitia suae absolutionis, tanquam contra men-
tem Ordinis et reverentiam eidem Capitulo debitam attenta-
tas, graviter reprehendimus, et similes in fraudem attenta-
ri deinceps prohibemus sub poena disciplinae generalis.
(Pr.Castellae).

[1638] MISERICORDIA

II. MISERICORDIA [1639]

1639.- 1678: Et D.N...a Prioratu Domus Padulae in actu Visitationis a Patribus Commissariis absolutus cellam habeat in claustro Domus Neapolis, ibique boni cellitae partes exequatur. (Pr. Sancti Brunonis).

=====

MISSA: (Vide etiam: 284-302)

- 1°: Conventualis.
- 2°: Privata.
- 3°: Sicca.

1°: MISSA Conventualis:

1640.- 1448: Et D.N...propter suam senectutem et frequentes infirmitates a celebratione Missarum habemus excusatum. (In Domo Vallis Sancti Georgii - Pr. Franciae).

2°: MISSA Privata:

1641.- 1428: Et Monachi Domus Vallis Pisii habeant patientiam de prolixitate D. Antonii, quem etiam monemus ut moderetur suam prolixitatem quantum poterit bono modo, et Monachos monemus ne nimis festinent in Missis suis. (Pr. Lombardiae propinquioris).

1642.- 1406: Ubi haberi possit vinum rubeum, non celebretur in albo propter scandala.

1643.- 1543: Et quoniam non sine dolore intelleximus quosdam nostri Ordinis tam officarios quam alios ad externa nimis effusos raro et minus reverenter ad Sacra Missarum solemniam celebranda accedere, monemus seriose omnes sacerdotes, ut sepositis curis externis et aliis impedimentis, ad specialia interioris hominis studia sese convertentes, frequentius et ferventiori devotione ac reverentia ad sancta et veneranda nostrae Redemptionis mysteria celebranda se praeparent.

3°: MISSA Sicca:

1644.- 1572: Praecipimus ut amodo nunquam cantaretur in Conventu missa sicca, sed loco ejus Missa integra cum sacrificio in privato ubi esset copia sacerdotum, redderetur; et propterea nudum officium minime est dicendum, quod alias quoque nullum apud nos locum habere volumus.

=====

II. MISSA [1644]

[1645] MONIALES

MONIALES: (Vide etiam: 306-317)

- 1°: Clausura - Locutorium.
- 2°: Monachi in Domibus Monialium.
- 3°: Receptio - Professio - Consecratio.
- 4°: Obedientia erga Superiores.
- 5°: Stabilitas.
- 6°: Paupertas.
- 7°: Pax.
- 8°: Non nimis scribere.
- 9°: Immixtio saecularium.
- 10°: Observantia - Reformatio.

1°: Moniales: Clausura - Locutorium:

1645.- 1299: Monemus Moniales ne amodo praesumant loqui cum aliquo saeculari vel regulari vel etiam cum parente nisi ad cletas et tunc associatae cum una vel duabus. - Item familiaritatem et frequentiam pedissequarum et mulierum saecularium fugiant et devitent.

1646.- 1332: Praecipitur omnibus Monialibus ne de caetero exeant clausuras suas, quia hoc prohibet Decretalis, et si ad praesens locus earum sit nimis strictus, dilatabitur per Visitatores secundum quod eis visum fuerit expedire ad recreationem ipsarum et claudetur ne a saecularibus videantur.

1647.- 1436: Et quia clausura Domus Melani nimis est arcta et secundum jura dictam clausuram exire non debent Moniales, committitur Visitatoribus quatenus secundum eorum discretionem dilatent et assignent tertiam partem prati contigui dictae Domui pro termino et clausura quam non transeant juxta formam juris, et paulatim claudatur de palissio dicta dilatatio. (Pr. Gebennensis).

1648.- 1455: Et Soror N...inobediens hactenus et rebellis comedit trina vice in refectorio mane et vespere ad terram, et sit in generali Ordinis disciplina ad Capituli Generalis voluntatem. Et committimus Visitatoribus Provinciae Gebennensis quod ad dictam Domum Melani accedant causa Visitationis in forma Ordinis faciendae et cum consilio Vicarii et Priorissae et antiquarum de Conventu concipiant modum dilatandi spatium retro Domum ipsarum pro spatiamiento necessario Monialium et per dictum Vicarium res concepta quamcitus perducatur ad effectum.

1649.- 1552: Ordinamus ad formam juris et Decretorum Summorum Pontificum ne viri qui de Ordine nostro non sunt claustrum

[1649] MONIALES

II. MONIALES [1650]

- Monialium ingrediantur nec ingredi permittant, et ne Vicarii et Priorissae ad id dent licentiam, exceptis medico, chirurgico et operariis necessariis, ad discretionem Vicarii et Priorissae, et si quae Moniales contra fecerint aut receperint, priventur caseo et pitantia per quindecim dies et futurum Capitulum Generale informetur.
- 1650.- 1577: In Domo Melani: Et hortamur in Domino Priorissam ut Bullam Summi Pontificis super ingressu virorum ac mulierum observet ac eidem pareat, persuadeatque suis Monialibus ac cogat eas mandatis Summi Pontificis obedire, alioquin subjacent sententiae excommunicationis a qua non possunt absolvi, nisi ab ipso Summo Pontifice. (Pr. Gebennensis).
- 1651.- 1577: In Domo Monialium Gosnay: Et custodiatur diligentissime porta illa quae gallice dicitur: "Portelette", quae ducit ad Moniales per veterem coquinam nec permittatur aliquem virum aut mulierem intrare per dictam portam, nisi Donatissas aut ancillas quae habent curam vaccarum et aliorum animalium, et super hoc invigilet Procurator dictae Domus sub poena absolutionis. (Pr. Picardiae).
- 1652.- 1584: In Domo Monialium Gosnay: Et quoad ingressum tam virorum quam mulierum etiam Monialium, Priorissa diligentius curet servari Concilium Tridentinum et Bullas Pontificias in quibus non cadit dispensatio extra casus necessitatis. (Pr. Picardiae).
- 1653.- 1590: Declaramus Moniales Domus Gosnay non posse extra Domum spatiari, hoc prohibente Concilio Tridentino et Bullis Summorum Pontificum; promittimus tamen nos omnem operam duros apud Summum Pontificem ut locus septus muro, palis, aut sepe et fossa illis deputetur tanquam necessarius vitae in quo spatiari et religiose recreari possint. (Pr. Picardiae)
- 1654.- 1613: In Domo Salettarum: Fenestellam cancellorum et clausuram claustrum Monialium instaurandam et observandam Patri Vicario et Priorissae plurimum commendamus. (Pr. Burgundiae).
- 1655.- 1615: In Domo Salettarum: Ordinamus ut locus ille qui dicitur visit Moniales a Monachis in Ecclesia claudatur cancellis ferreis, ita ut non possit haberi accessus ad eas. (Pr. Burg.)
- 2°: MONIALES: Monachi in Domibus Monialium:
- 1656.- 1424: Ordinamus quod Moniales Ordinis nostri non visitent Monachos nec Conversos nec viros alios degentes in Domibus earum sub obtentu vel colore infirmitatis vel alte-

II. MONIALES [1656]

[1657] MONIALES

rius causae, nec Priorissae super hoc possint dare licentiam, sed visitentur infirmi viri per viros, et mulieres infirmae per mulieres, nisi pro Sacramentis ministrandis, nec Monachi intrent claustrum Monialium nisi secundum Statuta. Priorissa quae contra fecerit, per unam hebdomadam, pro qualibet vie, facie velata sicut aliae incedat, et Monialis quae visitaverit, per unam hebdomadam comedat ad terram; Vicarius dans licentias contra praedicta absteineat in pane et aqua per tres dies, et Monachus visitans aliquam Monialem contra praesentem Ordinationem similem poenam incurrat.

1657.- 1487: Et interdicimus Priorissae et Monialibus Domus Melani quod nullo modo intrent cellam Vicarii aut etiam Religiosorum. (Pr. Gebennensis).

3º: MONIALES: Receptio - Professio - Consecratio:

1658.- 1422: Nulla Monialis faciat venire aliquam filiam sine consensu Vicarii et Priorissae sub poena per nos ordinanda, et quando recipientur aliquae, Priorissa, de consilio Vicarii, provideat de Magistra secundum Deum et Ordinem.

1659.- 1426: Prohibetur Vicario, Priorissae et singulis Monialibus Domus Salettaram sub poena excommunicationis ne filias quorumcumque ad litteras instruendas vel alia de causa recipiant aut in Monasterio teneant, et si quae sint, indilate emittantur.....(Pr. Burgundiae).

1660.- 1432: Quia in receptione, Professione et Consecratione Monialium Ordinis nostri fit excessus in numero personarum et expensarum in gravamen parentum earum et in dissolutionem et detrimentum Domorum earum contra morem et honestatem Ordinis, ordinamus ut in receptione et professione dictarum Monialium, numerus parentum earum et aliorum causa hujusmodi ad dictas Domo accedentium non excedatur octavus, in Consecratione numerus duodenarius non excedatur ultra familiam consecrantis, et in cibis ministrandis modestia Ordinis observetur.

1661.- 1437: Ordinamus quod amodo non recipiantur in Domibus Monialium juveniles puellae in habitu seculari pro pecuniis nutriendae, sub spe eas recipiendi ad habitum Ordinis...nec etiam recipiantur juveniles puellae in praefatis Domibus pro litteris addiscendis.....

1662.- 1459: Et nihilominus inhibitionem factam Priorissae Domus Monialium Bertaudi, in Domo Durbonis hospitantium, ne amodo recipiat aliquam puellam ad habitum Ordinis, nec ad

[1662] MONIALES

II. MONIALES [1663]

ibi standum in habitu seculari, confirmamus et inviolabiliter observari volumus; et quia intelleximus quod Priorissa dictae Domus et adhuc retinet unam filiam in dicta Domo in habitu saeculari, mandamus sibi ut illam indilate ad domum parentum suorum remittat, alias sit extra sedem ubique donec illam remiserit. Et si Fundatores Domus Bertaudi, una cum parentibus Monialium, volunt instaurare Domum Bertaudi, placet nostro Generali Capitulo quod Moniales se transferant ibi et tunc recipiant filias quas poterunt sustentare. (Pr. Provinciae).

1663.- 1465: Praeficimus Monialibus Domus Durbonis numerum Monialium videlicet quatuordecim inclusa Priorissa, quoniam attendita earum paupertate, iste numerus bene sufficit. Quem numerum sic per nos eis statutum et praefixum, nulla transgrediantur ex parte, nec unquam ad importunitatem quorumcumque nobilium vel aliorum excedant, recipiendo filias eorum etiam ad docendum eas litteras vel tenendo eas in Monasterio expectando locum vacantem, quod omnino fieri prohibemus, nec super hoc inquietent Reverendum Patrem Cartusiae aut Capitulum Generale pro licentia super hoc obtinenda. (Pr. Provinciae)

1664.- 1483: Et quia intelleximus quod Moniales Domus Melani petunt dietim ut recipiantur filiae nobilium in Domo sua, cum sit contra jura et Statuta et contra Ordinationem Capituli Generalis, non sint amodo importunae Vicario et Priorissae de receptione dictarum filiarum cum habeant numerum impletum et ultra, alias.....(Pr. Gebennensis).

1665.- 1547: Insequendo formam Statutorum, juris et Ordinationum Capituli Generalis, districte prohibemus Vicariis, Priorissis, Monialibus et personis nostri Ordinis, sub poena absolutionis ab officiis et perpetuae inhabilitatis ad illa, et quasvis alias Ordinis obedientias, ac privationis veli nigri aut alia arbitranda, ne de caetero in suis Domibus recipiant aut recipi procurent vel consentiant Moniales sive puellas ad habitum seu ad addiscendum Horas sub spe receptionis, ultra numerum statutum quem facultates Domorum absque penuria sustentare possint, nec pro hujusmodi receptione supernumeraria prohibita, Capitulo Generali seu Reverendo Patri Cartusiae, per se sive per interpositas personas, scribere, rogare, vel molestare praesumant, sub dictis poenis, declarantes per Summum Pontificem modernum Reverendo Patri Cartusiae esse jam prohibitum, sub poena excommunicationis latae sententiae, ne praedictae receptioni consentire habeat.

1666.- 1549: Ordinationes in Capitulis praecedentibus factas

II. MONIALES [1666]

[1667] MONIALES

ne filiae in Domibus Monialium ad habitum Ordinis nostri ultra numerum recipiantur, confirmamus et observari volumus, nec Reverendus Pater Cartusiae usque ad sequens Capitulum dispenset.

1667.- 1569: Priorissae, Vicario et caeteris Monialibus Domus Melani prohibemus ne amodo recipiant aliquam Monialem, nisi servata forma Concilii Tridentini et sine speciali licentia Capituli Generalis aut Reverendi Patris Cartusiae, nec introducant puellas ad docendum sub spe receptionis futurae aut alias sub poena absolutionis quoad officiales, et disciplinae generalis, quoad caeteras personas Ordinis, declarantes receptiones antehac factas, non servatis suprascriptis, irritas esse et inanes. (Pr.Gebennensis).

1668.- 1571: In Domo Melani: Et tam ipsa Priorissa quam aliae Moniales caveant admittere aliquam puellam sub praetextu futurae receptionis, sine licentia Reverendi Patris Cartusiae, nisi salvatis Concilii Tridentini Decretis. (Pr.Geb.).

1669.- 1585: In Domo Monialium Melani: Prohibemus Vicario et Priorissae ac Monialibus ne a caetero sollicitent Reverendum Patrem pro recipiendis Monialibus vel puellis ad discendas Horas; cui etiam Reverendo Patri prohibetur ne cui det talem licentiam. (Pr.Gebennensis).

1670.- 1691: Prohibemus ne admittantur puellae quae commendationibus Magnatum aut quarumcumque personarum saecularium aut Ecclesiasticarum uti vellent ad obtinendum ingressum aut receptionem in aliqua Domorum nostrarum; non enim propter aliquam gratiam hominum nobis conciliandam usui recipiendarum dotium renuntiamus, sed ad majorem Dei gloriam et Ordinis decorem, puellas Deo sacrandas vocatione coelesti praeventas ac convenientibus animi et corporis dotibus praeditas in Domibus Monialium nostrarum sic tantum admittere et non alias intendamus, et ut sedulo fiat illarum probatio, volumus ut in habitu saeculari non minus quam per octo menses probentur antequam ad habitum Ordinis admittantur, sive per annum integrum, quoties id Reverendo Patri expedire videbitur. Porro ut Domus Monialium commodius possent sustentari, caveatur ne equitaturis hospitem aut hospitium graventur, sed quantum fieri poterit, ad vicinas villas divertere suadeantur.

4°: MONIALES: Obedientia erga Superiores:

1671.- 1339: Moniales nolentes observare Ordinationes Visitationum districtissime puniantur a Vicariis et Priorissis

[1671] MONIALES

II. MONIALES [1672]

et etiam a Visitoribus quibus hoc districte injungitur, cum eas super hoc non invenerint emendatas.

1672.- 1393: Quia Sorores Alamanda, Aynarda, Sibilia, et Alesia, Moniales Bertaudi fuerunt longo tempore et adhuc sunt inobedientes Capitulo Generali, et per consequens Priorissae suae, inhabilitamus ipsas perpetuo ad omnia officia Ordinis et careant voce in aeternum. Et nihilominus pro offensis commissis, agendo tamen cum ipsis misericorditer, dicat quaelibet ipsarum unum Psalterium, sciturae pro certo quod nisi de caetero fuerint bene obediens Priorissae et Vicario ac toti Ordini, velum auferetur eisdem. (Pr. Provinciae).

1673.- 1570: Et caveant Moniales Domus Salettarum recusare Visitores Commissarios qui posthac mittentur a Capitulo Generali sive Reverendo Patre Cartusiae, sub poena expulsionis ab Ordine cum licentia Summi Pontificis. (Pr. Burgundiae).

1674.- 1576: Priorissae Domus Gosnay et aliis Monialibus quae absolutionem V.P.D. Remigii, quondam Vicarii, importune et sine ulla causa procuraverunt, ignoscitur, modo deinceps Bullam Summi Pontificis illis per dictum Patrem Vicarium declaratam et expressam sincere et inviolabiliter observent et coram Deo et ejus Vicario suam culpam agnoscant. (Pr. Picardiae).

1675.- 1582: Priorissae Domus Monialium Pratiensis fit mia. Et praeficimus in Priorissam dictae Domus Sororem Antoniam de Aquino, Sacristinam, praecipientes aliis Monialibus quatenus illam humiliter et reverenter suscipiant et agnoscant ut spiritualem Matrem, alias quae contra fecerint sint in disciplina generali ad Ordinis voluntatem. (Pr. Provinciae).

1676.- 1591: Priorissae Domus Monialium de Poletens, ob suam rebellionem in dictae Domus Vicarium, praelatum suum, usque ad ejus ejectionem et expulsionem et ob alias graves causas nobis notas, fit mia. Quam cum reliquis quatuor Monialibus hortamur ad hujus facti condignam poenitentiam, singulisque indicimus hinc ad Festum S. Mariae Magdalenae, unam singulis hebdomadibus in pane et aqua abstinentiam, praeter eam quae est Ordinis, privamusque omnes omni auctoritate contrahendi et usque ad hujus Decreti revocationem.... (Pr. Burgundiae).

1677.- 1591: Domui Monialium Salettarum mittimus D.N...., Vicarium Cartusiae, etsi Ordini in eadem Domo pernecessarium, qui suppleat officium Vicarii a Reverendo Patre Priore Cartusiae interim quaerendi et mittendi; et interim exploret quanta debeat Ordini remanere spes introducendae in eam Domum reformationis clausurae et vitae communis, quem, quamdiu

illam spem habuerit, manere volumus, et quam cito ea exciderit, ad Cartusiam redire suadetur et jubetur. Moniales vero hortamur et obsecramus in Domino nostro Jesu Christo, solliciti de earum salute, ut ejus consiliis et exhortationibus acquiescant, illique eam reverentiam, obedientiam et dilectionem in Domino reddant quam nobis ipsis exhiberent, uti e contrario vindicabimus quidquid in eum secus vel factum vel dictum vel attentatum fuerit, quod non tamen eventurum speramus. (Pr. Burgundiae).

5°: MONIALES: Stabilitas:

1678.- 1403: Soror Maria-Richarde maneat in Domo Excubiaram, cum professionem ibi fecerit, nec decet Moniales toties mutare. (Pr. Provinciae).

6°: MONIALES: Paupertas:

1679.- 1415: Quia percepimus quod quaedam Moniales nostri Ordinis non vivunt sine proprio, contra observantiam regularem, indistricte injungimus Visitoribus earum quatenus eas cogant ut communiter vivant et nihil habeant nisi quod eis de communibus officialibus ministratur; quod si obedire nollent, quod absit, vino careant, donec obedire sint paratae.

1680.- 1435: Ordinando committimus Prioribus Petrae Castri et Montis Merulae ut hinc usque ad sequens Capitulum Generale vadant ad singulas Domos Monialium expensis ipsarum Domorum Monialium, et ibi de clausura earum juxta formam juris et Ordinis ordinent et exequantur, et ulterius quidquid proprietatis in singulis repererint, auferant, et ad commune totius Domus applicent, ordinando quod singulis omnium per Priorissam de bonis communibus monasterii provideatur juxta qualitatem Domus. Nec Vicarii pecunias Domus teneant vel administrant sed Priorissa quae de Statuto habet temporalium administrationem. Et in casu rebellionis omnium praedictorum aut singulorum per censuram ecclesiasticam compellant.....

1681.- 1569: In Domo Salettarum: Et super querimoniis Sororum Joannae de Montferrand et Claudiae de Sancto Juliano, declaramus Vicarium et Priorissam debere et consuevisse distribuere ad discretionem eorundem bona et mobilia Monialium morientium ibidem, pro usu et utilitate dictae Domus, nec debere dictas Moniales succedere morientibus jure haereditatis sicut ipsae praetendunt, et ideo imponimus silentium dictis Monialibus, volentes dictam declarationem posthac sinceriter observari.....(Pr. Burgundiae).

1682.- 1585: Ordinationes jam saepius factas et emanatas a Ca-
 pitulo Generali de correctione et reformatione Monialium
 Ordinis nostri juxta Sacros Canones et Decreta Sacri Conci-
 llii Tridentini, tam in observatione clausurae quam proprie-
 tate vitanda, communique simplicitate amplectenda confirma-
 mus.....

1683.- 1585: In Domo Salettarum: Prohibemus ne Moniales super-
 stites sibi vendicent aliquod jus in bona mobilia defunc-
 tarum Monialium, ita ut quidquid dereliquerint defunctae in
 commune conferatur. Et caveat ipsa Priorissa refragari huic
 Ordinationi, et considerent Moniales extremam paupertatem
 ad quam redacta est dicta Domus, et sint contentae his quae
 per facultate Domus Vicarius poterit ministrare, non obstan-
 te quavis consuetudine. (Pr. Burgundiae).

1684.- 1596: Hortamur Priores Provinciae Theutoniae ut aliquid
 suis necessitatibus subtrahant, et istas bonas Virgines
 (Moniales Domus Brugis) in extrema penuria constitutas, si-
 cut omnibus notum est, adjuvare dignentur, mercedem a Domi-
 no Deo qui omnibus dat affluenter, recepturi. Quia cum Domus
 ista sis membrum Provinciae Theutoniae, justum judicamus si,
 uno membro dolente, reliqua compatiuntur. Ordinamus igitur
 et praecipimus ut Domus subscriptae persolvant taxam pro
 auxilio dictarum Virginum, etc.....

7°: MONIALES: Pax:

1685.- 1559: In Domo Salettarum: Et nisi, recepta Charta Capi-
 tulli Generalis, duae Sorores N...et N:;. convenerint paci-
 fice super camera pro qua disceptant, ex tunc prout ex nunc,
 priventur ipsa camera quam Vicarius et Priorissa aliis con-
 ferant libere, nec amplius de his et similibus inquietare
 audeant Reverendum Patrem Cartusiae. (Pr. Burgundiae).

8°: MONIALES: Non nimis scribere:

1686.- 1413: Quoniam multa scandala per scripturas Monialium
 Ordinis nostri audivimus olim pervenisse, prohibemus om-
 nibus et singulis Monialibus praefati Ordinis nostri, et
 cuilibet earundem, ne amodo cuicumque viventi per se vel
 per alium scribant neque papyrum seu atramentum penes se
 custodiant, absque scitu et licentia Priorissae et Vicarii,
 et si quae contra fecerit, sit novitia et careat velo nigro,
 donec per Capitulum Generale seu per Priorem Cartusiae sibi
 fuerit restitutum.

[1687] MONIALES OM. II

9°: MONIALES: Immixtio saecularium:

1687.-1392: Inhibemus Monialibus Domus Bertaudi sub poena in-
habilitationis perpetuae, ne amodo recurrant ad amicos
vel notos vel scribi faciant Capitula aut Domino Cartusiae
de promotione alicujus ipsarum ad officia Ordinis, vel in-
quietent se invicem aut Vicarium vel Priorissam in quocum-
que. (Pr. Provinciae).

1688.-1395: Quod secundum Apostolum nemo debeat sibi honorem
assumere nisi qui vocatur a Domino tanquam Aaron, nunc
autem, quod dolentes referimus, quaedam pestifera consuetu-
do in Domibus Monialium Ordinis nostri inolevit, quod quan-
do contigit aliquam Priorissam obire vel absolvi, Monialium
parentes, noti, amici et affines, tam per se quam per alios,
auxilio etiam nobilium implorato et potentium per preces,
minas et litteras, et aliis motis exquisitis sive ingeniis
nituntur, quas volunt et ad quas magis afficiuntur in Prio-
rissas contra Deum et omnem justitiam facere promoveri; Con-
ventus etiam ipsarum Monialium, verbis, donis et promissio-
nibus subornando, ad suam partem trahendo, unde etiam Dominus
Prior Cartusiae Pater noster a talibus multas patitur moles-
tias et expensas. Quapropter super praemissis volentes de re-
medio providere, statuto perpetuo et irrefragabili, duximus
ut tales Moniales pro quibus a personis quae non erunt de
Ordine nostro, fuerit Domino Priori Cartusiae vel Monialibus
ad quas electio pertinet, supplicatum vel rogatum, non pos-
sint pro illa vice eligi aut eligere, sed sint pro tunc pri-
vatae voce, nisi forte appareret vel constaret aut verisimi-
liter crederetur quod supplicantes in fraudem aut malitiam
hoc facerent pro impediendis electionibus illarum quae alias
essent sufficientes et digniores seu meliores eligendae. Et
ut hoc statutum melius observetur, scribatur in Martyrolo-
giis Domorum ipsarum Monialium et legatur per Priores qui
pro confirmanda electione vocabuntur, omnibus praesentibus,
antequam ad electionem procedatur, ad cujus confirmationem
omnino non procedant, si secus in praemissis repererint es-
se factum.

1689.-1570: Et Priorissa Domus Monialium de Poletens det ope-
ram recuperare calices et reliquias dictae Domus datas in
custodia cuidam nobili consanguineo suo. (Pr. Burgundiae).

10°: MONIALES: Observantia - Reformatio:

1690.-1307: Ordinamus et injungimus quod Moniales quae nolunt
facere officia Ecclesiae, videlicet legere, cantoriam fa-
cere, responsoria dicere, et caetera officia, possint poni
in loco Novitiarum.

II. MONIALES [1691]

- 1691.- 1495: Et intimamus Monialibus Domus de Poletens quod Or-
 ==== do intendit providere super statu ipsarum pro earum refor-
 matione, aut se expedire de ipsis. (Pr. Burgundiae).
- 1692.- 1495: Intimamus Monialibus Domorum Melani, Pratinollis,
 ==== Poletensis et Salettarum quod Ordo intendit providere su-
 per statu ipsarum pro earum reformatione.
- 1693.- 1498: Et amodo Moniales Domus de Poletens studeant se re-
 ==== formare et Statuta ac Ordinationes Capituli ac Visitorum
 observare, si Dei et Ordinis volunt evadere ultionem. (Pr.
 Burgundiae).
- 1694.- 1503: Et Moniales Domus de Poletens non expectent rela-
 ==== tionem Ordinationis Visitorum de non comedendo in re-
 fectorio, quia contrarium facere esset contra formam Statu-
 torum et maxime cum sit ante probatum quod inordinationes
 fiunt in cameris. (Pr. Burgundiae).
- 1695.- 1523: Et Visitatores Provinciae Burgundiae quamprimum
 ==== commode poterunt accedant ad Domum Salettarum et caminos
 in cameris Monialium aedificatos destruant; fenestrae autem
 versus Rhodanum vitrinis obstruantur vel penitus auferantur.
- 1696.- 1545: In Domo Monialium Melani: Et exhortamur Vicarium
 ==== et Priorissam ut solliciti sint dictam Domum reformare tam
 in spiritualibus quam in temporalibus pro Dei et Ordinis ho-
 nore et animarum salute. Insuper intelleximus quod ibidem
 fuerunt receptae quaedam puellae seculares pro litteris ad-
 discendis contra prohibitionem Ordinis et quia Domus est re-
 ducta ad magnam paupertatem, ideo inhibemus aliquas recipi
 sive pro habitu Ordinis sive pro litteris addiscendis.
 (Pr. Gebennensis).
- 1697.- 1551: In Domo Melani: Et in descensu Capituli Generalis,
 ==== Venerabilis Prior Pomerii Visitor, cum socio Priore per
 eum assumendo, accedat ad ipsam Domum et diligenter inquiret
 an Priorissa se emendaverit de statu et conversatione Monia-
 lium ac de observatione ordinatorum per Visitatores in Char-
 ta, et quamprimum Reverendum Patrem Cartusiae informet et
 interim injungendo Monialibus ut salubriter ordinata obser-
 vent. (Pr. Gebennensis).
- 1698.- 1575: Priorissa Domus Salettarum hortamur ut invigilet
 ==== super observatione silentii in Ecclesia sub Divino Offi-
 cio, et Moniales quas invenerit culpabiles declaret Vicario
 qui salutarem eis poenitentiam injunget pro modo culpae.
 (Pr. Burgundiae).

II. MONIALES [1698]

[1699] MONIALES NOM. II

1699.-1576: Vicarium Domus Monialium Gosnay rogamus et obse-
==== cramus in Domino quatenus invigilet ut Concilium Tridenti-
num, Bullae Summi Pontificis, Ordinationes Capituli Genera-
lis et Visitorum et quae sunt Sacri Ordinis nostri sincere
observentur. (Pr. Picardiae).

1700.- 1578: Licet jamdiu multis et Ordinationibus et litteris
==== et sermonibus plurimorum atque etiam fuis ad Deum preci-
bus, omnia propemodum praestiterimus quae nobis ad salutem
reformationemque nostrarum Monialium pertinere videbantur,
quia tamen pro Divino honore et animarum salute nihil unquam
nobis satis praestitisse aut praestare posse existimamus,
opere pretium facturi videmur si adhuc semel nostram omnem
qualemcumque operam ad earum salutem procurandam impendamus.
Primum igitur omnium intelligere debent, quaecumque ejusmo-
di sunt, quae Sacro Concilio Tridentino, Constitutionibus
Summorum Pontificum, et Constitutionibus et Ordinationibus
nostri Capituli Generalis et Reverendi Patris obstinate pa-
rere recusant, se esse in perpetuo peccato mortali, in statu
sempiternae damnationis, multis illaqueatas excommunicatio-
nibus, praecisas a Corpore Christi Mystico, sine Deo, sine
Gratia Divina, sine Ecclesiae communione, sine sacramentis,
nec sine novo semper peccato mortali et sacrilegii scelere
posse confiteri, communicare, simul in chorum venire, Offi-
cio interesse Divino, Missas audire, officia Ordinis exerce-
re, et demum post mortem in coemeterio sepeliri. Quae cum
ita sint, obsecramus universas et singulas, per Sanguinem
Domini nostri Jesu Christi et per horrendum et impatibile
judicium ejus, ut se obedientiae Dei et Sacri Concilii et
Summi Pontificis integre et sincere subjiciant. Quod si fa-
cere recusent, privamus eas regimine et Communione Ordinis
nostri, et Vicarios caeterasque personas Ordinis ad suam
quamque Domum professionis redire aut ad Reverendum Patrem
Cartusiae praecipimus accedere, et se amplius in earum loca
aut res aut negotia inferre prohibemus.

1701.- 1578: Priorissa Domus de Poletens cum caeteris Moniali-
==== bus conformet se in victu et vestitu aliisque quae sunt
Ordinis nostri caeteris Ordinis personis. (Pr. Burgundiae).

1702.- 1580: Juxta alias ordinata, declaramus Moniales quae no-
==== lunt obedire Concilio Tridentino, Bullis Summorum Pontifi-
cum et Statutis nostris ac Ordinationibus, cum bona conscien-
tia nec communicare nec absolvi posse. Ideo inhibemus Vica-
riis et aliis Monachis ne illas absolvant, nec ad communio-
nem recipiant.

[1702] MONIALES

II. MONIALES [1703]

- 1703.- 1586: Visitatores obsecramus ut super animum Reverendo
 ---- Patri scribant quid sentiant de modo reformandi Moniales
 Ordinis nostri et earum dimissione si reformationi sese
 noluerint subdicere.
- 1704.- 1586: Priorissam Domus Monialium Bertaudi rogamus ut in
 ---- hac procellosissima tempestate Domus ac personarum sibi
 commissarum in Deo figat anchoram. Mandamus autem ut statim
 accepta Charta, expellat a Domo Durbonis Sororem N..., etc..
 etc...Interea dicta Priorissa non permittat ligna incidi aut
 distrahi quoquo modo, sine expressa licentia Reverendi Pa-
 tris Cartusiae. Priorissa vero etiam officium cellerariae
 per se vel per aliam personam, sive Ordinis sive secularem,
 exerceat aut exerceri faciat quousque aliter ordinatum fue-
 rit, nec in his supradictis observandis ullo modo deficiat,
 si Dei et Ordinis poenas velit effugere. (Pr. Provinciae).
- 1705.- 1589: In Domo Monialium Brugis: Priorissam cum suis in
 ---- Christo filiabus monemus salutaribus Ordinationibus Visi-
 tatorum et monitis sui Vicarii magis ac magis acquiescere,
 ut earum conversatio fiat suo Sponso semper gratior et Ordi-
 ni celebrior; quarum inopiam suscepimus sublevandam. (Pr.
 Theutoniae).
- 1706.- 1590: Inhaerentes Capitulorum praecedentium Chartis et
 ---- Patrum Decretis quae renovamus in quantum sequentibus con-
 sentiunt, omnes et singulas Moniales Professas monemus et
 obsecramus et exhortamur in Domino, ut pro Dei et Domini nos-
 tri Jesu Christi, earum Sponsi, amore et reverentia susci-
 piant reformationem clausurae et vitae communis, ad formam
 Sacri Concilii Tridentini, Bullarumque Summorum Pontificum
 super quibus certum est Capitulum Generale et minus Priorem
 Cartusiae nullo modo dispensare posse, cum unum sit de essen-
 tia Religionis, et alterum de sexus decencia sub praeepto;
 et ne illas videamur nimis urgere, tres illis terminos assi-
 gnamus, singulos singulis mensibus a se se junctos quibus or-
 dinamus illas moveri et induci tam probabilibus quam necessa-
 riis causis ad salutem, ad recipiendum utrumque. Quod si non
 praestiterint, dictis tribus terminis elapsis, ex tunc prout
 ex nunc, illarum cura tam in temporalibus quam in spirituali-
 bus nos nostrumque Ordinem liberamus, et eas gubernationi Re-
 verendissimorum Episcoporum Ordinariorum relinquimus, vi Sa-
 cri Concilii Tridentini Brevisque peculiaris a Summo Pontifi-
 ce in hunc effectum emanati, ne peccatis alienis communice-
 mur, qui propriis plus satis oneramus. Et ut nihil intentat-
 um relinquamus, etc..... etc.....

II. MONIALES [1706]

1707.-1596: Cum Moniales Domus Brugis receperint et servent
realiter regularem observantiam sub spe quod juxta promis-
sum factum per Chartam Capituli anni 1590, essent a nostro
Ordine sufficienter sustentandae, et nunc tanta penuria pre-
mantur, ut nisi eis prompte succurratur, dictam observantiam
diutius servare non valeant, plurimum hortamur et obsecramus
in Domino singulos Visitatores ut a Domibus suarum Provincia-
rum ditioribus eleemosynam requirant et recipiant, eamque ad
Reverendum Patrem Cartusiae dirigant, qui fideliter dictis
Monialibus illam subministrabit. (Pr.Theutoniae).

MORTIFICATIO:

1708.-1580: Et Conventuales Domus Bonipassus studeant mortifi-
cationi, maxime coram secularibus. (Pr.Provinciae).

MULIERES: (Vide etiam: 318-323)

- 1°: Locutorium.
- 2°: In Domibus.
- 3°: In Grangiis et in operibus.

1°: MULIERES: Locutorium:

1709.-1546: Ordinamus ut in Provincia Theutoniae uniformitas ob-
servetur, quod Priores Domorum qui adhuc non fecerunt quam-
primum construi et aedificari faciant cancellos pro colloquiis
mulierum juxta ordinata per Visitatores, alioquin lapsis tri-
bus mensibus, sint ubique in Conventu extra sedem suam, cae-
teri vero religiosi sint in disciplina generali.

1710.-1556: Visitatores Provinciae Theutoniae invigilent et
provideant ut nulla Domus habeat cameras aut lectos in
quibus mulieres possint pernoctare, sed remittant eas ad lo-
ca viciniora, ad domos honestas in quibus possint quiescere
et dormire, et nulla Domus Provinciae habeat januam ad in-
troeundum in domum mulierum infra portam Conventus, sed in-
troitus sit solummodo extra.

1711.-1575: Priori Domus Brugis mandamus et praecipimus ut jux-
ta ordinata Visitorum provideat de loco in quo mulieres
adventantes recipiat, ut comedere possint, et non in capel-
la sacrata. (Pr.Theutoniae).

II. MULIERES [1712]

1712.- 1586: Et deinceps in Domo Sancti Audomari nullo Monacho
 detur licentia loquendi cum mulieribus, nisi cum propin-
 quis, alias culpa in Priorem redundabit. (Pr. Picardiae).

1713.- 1651: Frater Joannes (Pègon), Prior Majoris Cartusiae,
 et totius Ordinis Generalis Minister, Venerabilibus Patri-
 bus Prioribus Domorum Friburgi et Trevirensis nostri Cartu-
 siensis Ordinis et Visitoribus Provinciae Rheni salutem
 in Domino sempiternam:

Licet in Provincia vobis credita oculi debeatis esse
 Ordinis et justitia, et a vobis debuerimus informari de his
 quae contingunt ex colloquio circa portas Domorum; tamen
 aliunde didicimus quae Deo accepta esse non possunt, nec no-
 bis grata, castitati vero, puritati et saluti animarum plu-
 rimum adversantur. Si enim feminarum quantumlibet honestarum
 familiaritas a Patribus vestris semper fuit interdicta cunc-
 tis, quid Cartusianam nostram Institutionem sectanti, nunc
 sunt periculi, nunc discriminis, quid perditionis animabus
 vobis creditis non est accessurum, si colloquia et risus et
 his similia tolerantur? Verum ne huic morbo subnascenti
 consentire videar, quascumque licentias hactenus concessas
 per nos, praedecessores nostros, sive per Priores aut Visita-
 tores ad hujusmodi colloquia habenda, revocamus et annullamus,
 et ne concedantur deinceps volumus. Si vero contrarium atten-
 tatum, aut permissum fuerit, publica per Capituli Generalis
 Ordinatione Chartam, omne feminarum colloquium Monachis in-
 terdicetur, ut qui unius vobiscum sunt vocationis et nominis
 etiam unius sint moris; non enim qui terminos nostros et vi-
 vendi modum subierunt, ullius unquam mulieris, nec etiam ma-
 tris habebant colloquium.

Quare vobis et cuilibet vestrum per praesentes mandamus,
 praecipimus et committimus, ut huic morbo obsistendo, illud
 penitus extirpetis et extirpari faciatis. Nec de caetero
 praeter matrum et sororum colloquia, nulla mulierum Religio-
 sis concedatis, et hoc in loco aperto et ab omni sinistra
 suspitione alieno; sed neque a constituto deambulent cum ma-
 tribus et sororibus, nec ad pomaria, aut silvas aut prata
 declinent, ne populo laicali, aut etiam detractionis materiam
 praestent in spatiamentis vel circa Domos.

Nihilominus vestra discretio limitet hunc ad Generale
 Capitulum futurum modum habendi colloquium cum matribus et
 sororibus in unaquaque Domo Ordinis; et ultra semel aut bis
 ad summum in anno talis licentia non concedatur nec permit-
 tatur.

Datum Cartusiae sub sigillo Ordinis et subscriptione
 nostra et Scribae nostri Capituli Generalis, ipso sedente,
 anno 1651.

II. MULIERES [1713]

[1714] MULIERES. II

28. MULIERES: In Domibus:

1714.- 1319: Statuimus quod Priores qui reperti fuerint culpabiles vel negligentes in non opponendo se ne mulieres intrent clausuras nostras, sint extra sedes suas usque ad Capitulum sequens, et in dicto Capitulo clament culpas suas, recepturi disciplinas quas Capitulum ordinabit; illi vero de Conventu Monachi vel Conversi qui se ad idem non opposuerint, sint in disciplina generali usque ad Capitulum sequens, et si habent obedientias eas amittant.

1715.- 1466: Quia intelleximus quod quaedam Militissa de Picardia obtinuit a Summo Pontifice licentiam intrandi omnia Monasteria Ordinis nostri cum 4 mulieribus semel in qualibet hebdomada, quod esset contra Statuta Ordinis nostri si permitteretur; ideo ad vitandum scandalum quod inde oriri posset, monemus omnes personas Ordinis nostri ut si ad Monasteria Ordinis dicta Domina cum aliis mulieribus declinaverit et intrare voluerit, nullo modo intrare permittatur, sed viriliter se opponant prout in Statutis nostris est expressum.

1716.- 1496: Et Visitatores qui de proximo debent visitare Domum Bellilarici vigilant circa Indulgentias et Ordinem, quod nullo modo mulieres intrent claustrum nec cellas Monachorum nec officinas, nec Monachi audiant confessiones. (Pr. Franciae).

1717.- 1505: Inhibemus Priori et Conventui Domus Bellilarici ne, praetextu certarum Indulgentiarum permittant mulieres ingredi cellas Monachorum, claustrum, aut alias officinas Domus, et reparent clausuras ad hoc necessarias. (Pr. Franciae).

1718.- 1507: Et Prior Domus Portae Coeli non permittat amodo mulieres ingredi campum qui est ante fores Ecclesiae. (Pr. Cathaloniae).

1719.- 1512: Inhibemus Priori Domus Vallis Profundae sub poena absolutionis et disciplinae generalis ne ab inde permittat mulieres ingredi clausuram Domus, quacumque consuetudine et privilegio non obstante. (Pr. Franciae).

1720.- 1536: Mandamus Visitoribus ut quantocyus ad Domum Compassionis Beatae Mariae prope Juliacum se transferant et eidem terminos assignent, per quos possit mulierum ingressus impediri. (Pr. Rheni).

1721.- 1549: Et D.N...conformet se caeteris in celebrando et licentiam concessam matri ipsius cum aliquot aliis mulie-

[1721] MULIERES

II. MULIERES [1722]

ribus ingredi dictam Domum revocamus. (In Domo Noviom - Pr. Picardiae).

1722.- 1555: In Provincia Alemaniae Superioris non permittant Priores mulieres ingredi Domos et claustra Ordinis sub poena et censuris ecclesiasticis, quibus est prohibitum per Statuta et privilegia, et qui contra fecerint, notentur per litteras ad futurum Capitulum Generale.

1723.- 1556: Ex quo Domus nostri Ordinis in Sclavonia sunt valde suspectae de esu carniū et ingressu mulierum, ordinamus et firmiter inhibemus Prioribus et officiariis earundem Domorum, quatenus esum carniū et ingressum mulierum a praedictis Domibus totaliter extirpare conentur, sub poena in Statutis contenta.....(Pr. Alemaniae Superioris).

1724.- 1587: Priori Domus Gallionis prohibemus et caeteris officialibus et Monachis ne, praetextu cujusdam confraternitatis, mulieres introducant in Domum vel Ecclesiam. (Pr. Franciae).

3^o: MULIERES: In Grangiis et in operibus:

1725.- 1368: Prohibemus personis Ordinis, ne in Domibus et in Grangiis Ordinis, quae per personas Ordinis cum habitu gubernantur, amodo mulieres seu ancillae ulla occasione mercede conducantur aut alias commorentur; si Prior contra fecerit vel consenserit facientibus, si vero alia quaelibet persona Ordinis cujuscumque conditionis extiterit, a Visitatoribus graviter puniatur.

1726.- 1374: Et Prior Domus Beatae Mariae prope Argentinam coereat Monachos a colloctionibus mulierum et secularium ad portam, sicut alias consueverunt inconsulte. (Pr. Alem. Inf.)

1727.- 1497: Cum intelleximus in Provinciis Burgundiae et Gennensis et Aquitaniae, tempore foenationum, Monachos ad spatia pergentes foenare cum mulieribus, quod nefas est et auditu horridum ac Religionis contrarium honestati, ea propter inhibemus omnibus et singulis Monachis ut amodo exeant ad foenandum cum mulieribus, alias.....

MURMURATIO: (Vide etiam: 324)

1728.- 1423: Prohibetur D.N. ne Generali Capitulo scribat murationes et diffamationes, sicut consuevit.....(In Domo Vallis Bonae - Pr. Aquitaniae).

II. MURMURATIO [1728]

[1729] MURMURATIO

1729.- 1445: Et nisi D.N...a prolixitate celebrandi et sedulitate murmurandi contra officarios suos religiose se emendaverit, volumus ut per proprium Priorem aut etiam Visitatorem, si opus fuerit, debite puniatur....(In Domo in Tüchelhausen - Pr.Alemaniae Inferioris).

1730.- 1534: Et D.N...quietus sit et sine murmure, alioquin Ordo providebit. (In Domo Confluentiae - Pr.Rheni).

1731.- 1547: Et D.N...studeat refrænare linguam suam a suis malis persuasionibus et religionis contemptu, alioquin condignam poenitentiam subeat, et super hoc Prior invigilet, cujus conscientiam oneramus. (In Domo Campensi - Pr.Theutoniae).

=====

MUTATIO DOMUS: (Vide etiam: 325-339)

1732.- 1297: Volumus ut quicumque ex causa levitatis exierint de Domibus suis, in tanta parcitate sustententur in Domibus ad quas missi fuerunt quod pro pinguiori victu non se gaudeant exivisse et tam iis quam aliis evagandi materia subtrahatur.

1733.- 1470: Et D.N...vadat ad Domum Montis Benedicti quia Domo ipsa indiget de ipso. Et casu quo non esset ibi consolatus, D.N...Visitor ipsum consolabitur. (Pr.Lombardiae propinq.).

1734.- 1523: Et Fr.N...in Domo Parmae (Pr.Lombardiae propinquo-
ris) vadat ad Domum Montelli (Pr.Tusciae) tres dies infra post acceptam Chartam, recto itinere et quam citius.

1735.- 1548: Priori Domo Belnae qui Monachum ad se missum per Convisitatorem Provinciae de licentia Reverendi Patris Cartusiae recusavit et ad ipsum Convisitatorem reduxit fit mia, et revertatur ad Domum suae Professionis. (Pr.Franciae).

1736.- 1559: Et D.N...hospes in Domo Parmae vadat absque notabili diversione a recto itinere, nec accedat Januam sub poena carceris, hospitatum ad Domum Montis Brachii. (Pr.Lombardiae propinquo-
ris).

1737.- 1582: In Domo Coloniae: Conventuales rogamur ut compantantur Domibus afflictis, prout usque nunc laudabiliter fecerunt, et non graviter ferant, si pro communi profectu Provinciae assumuntur ex eis personae idoneae; eos tamen privare nolumus personis necessariis ad Divinum Officium cum cantu persolvendum et ad bonum juniorum exemplum....(Pr.Rheni).

[1737] MUTATIO DOMUS

II. MUTATIO DOMUS [1738]

1738.- 1644: Et D.N...qui sine licentia Superiorum suorum tran-
sivit ad aliam Domum, careat colloquio et spatiamenti per
tres menses. (In Domo Vallis Pisii - Pr.Lombardiae).

1739.- 1667: In Provincia Provinciae: Qui ad alias Provinciae
Domos mittuntur vel ab ipsis recedunt, prohibemus ad Do-
mum Massiliae accedere, et qui ad dictam Domum Massiliae mit-
tuntur civitatem adire, alias poena fugitivorum teneantur.

=====

NEGOTIA: (Non se ingerere in...): (Vide etiam: 340-343)

1740.- 1412: Et D.N...imponimus silentium ut de negotiis Domus
non se intromittat nisi interrogatus; quod si secus fue-
rit, pro qualibet vice faciat unam abstinentiam sine mise-
ricordia; (In Domo Sanctae Annae prope Brugis - Pr.Picar-
diae remotioris).

1741.- 1423: Quia Monachi et Conversi Domorum Montis Dei et
Vallis Sancti Petri assueti sunt de regimine temporali
multipliciter se intromittere, opponendo se Prioribus suis
in detrimento Domorum suarum, volumus ut a talibus desis-
tant, alias graviter puniantur. (Pr.Picardiae propinq.).

1742.- 1436: Et D.N...non se intromittat de negotiis Domus,
nec loquatur cum secularibus....(In Domo Glanderii -
Pr.Acquitaniae).

1743.- 1436: Et cum D.N...impertinenter se intromittendo de
temporali regimine pacem Domus turbet, monemus et hortamur
ipsum in Domino ne de ipsis temporalibus se intromittere
praesumat, alias per subtractionem victualium puniatur pro
qualibet vice. (In Domo Vallisclusae - Pr.Burgundiae).

1744.- 1442: Et prohibemus Monachis Domus Vallis Sancti Petri
ne de caetero contra Ordinationes Capituli Generalis se
intromittant de regimine temporalium, sintque magis tracta-
biles quam hactenus fuerunt, alioquin Ordo providebit.
(Pr.Picardiae propinquieris).

1745.- 1445: Et D.N...perseveret in Domo Arveriae quiete, non
intromittendo se de factis Domus aut Prioris sui....
(Pr.Burgundiae).

1746.- 1451: Et Monachi claustrales Domus Montis Sancti Ludovi-
ci non intromittant se de temporalibus, nisi in quantum
Statuta sibi permittunt. (Pr.Picardiae propinquieris).

II.NEGOTIA [1746]

[1747] NEGOTIA OITATUM. II

- 1747.- 1453: Et stricte injungimus Procuratori deposito ut nullatenus se intromittat de negotiis Domus, nec Prior modernus teneatur sequi consilia vel motiva sua.... (In Domo prope Asti - Pr.Lombardiae propinquioris).
- 1748.- 1460: Et de his quae scribit D.N...satis immature digestis, imponimus sibi silentium. (In Domo Vallis Benedictonis - Pr.Provinciae).
- 1749.- 1467: Et D.N...refraenet se a suis temeritatibus quibus, pro dolor! nimis intromisit se de statu et regimine Domus, volens omnia fieri ad votum suum, flectendo multa quae non decet nec conveniunt religiosum. (In Domo Vernae - Pr.Provinciae)
- 1750.- 1501: Et D.N...non sit sollicitus de sex illis florenis quos petit restitui Priori Domus Angionis sed de salute animae suae sollicitetur, quia ad officiales hoc pertinet. (Pr.Gebennensis).
- 1751.- 1501: Et D.N...cesset se intromittere de temporalibus quia ad officiales hoc pertinet. (In Domo Vallis Pisii - Pr.Lombardiae propinquioris).
- 1752.- 1507: Et D.N...amodo desistat a scriptis suis et se nullatenus de aliorum factis aut fiendis intromittat, sed saluti propriae consulat, et si amplius scripserit, responsum non expectet. (In Domo Delfensi -Pr.Theutoniae).
- 1753.- 1509: Et D.N...qui quamplura scribit Capitulo Generali, quae ad ipsum non pertinent, studeat operari salutem animae suae, et de his et similibus ad eum non pertinentibus ulterius non se impediatur. (In Domo Parisiensi - Pr.Franciae)
- 1754.- 1518: Inhibemus Monachis Domus Sylvae Benedictae ne de regimine temporalium se impediatur, nisi requisiti et quatenus hoc Prior permiserit. (Pr.Burgundiae).
- 1755.- 1521: Et D.N...amodo de negotiis Provinciae non se intromittat. (In Domo prope Stetin - Pr.Saxoniae).
- 1756.- 1522: Et D.N...reverenter ad Priorem et pacifice ad reliquos vivat, nec de temporalium dispositione se intromittat, alias Ordo sic providebit quod ejus disciplina aliis erit in exemplum. (In Domo Vallis Sanctae - Pr.Gebennensis).
- 1757.- 1568: D.N...remaneat in Domo sua, curetque pacifice ac modeste vivere, nec alios inquietet, intromittendo se de negotiis Domus, Vicarii et Antiquioris, cui Prior exhibeat

[1757] NEGOTIA

- omnem charitatem in suis infirmitatibus. (In Domo Florentiae -- Pr. Tusciae).
- 1758.- 1571: Et D.N... Sacrista Domus Delfensis curet pacifice cum suo Priore vivere et se non immiscere rebus temporalibus, nisi requisitus a suo Priore, alioquin, emittatur ad aliam Domum sub gravi disciplina. (Pr. Theutoniae).
- 1759.- 1581: Et D.N... non se intromittat de negotiis Domus, sed quiete et pacifice vivat. (In Domo Vallis Clarae -- Pr. Aquitaniae).
- 1760.- 1589: Et D.N... non se intromittat de negotiis temporalibus et maneat in claustro. (In Domo Valencennarum -- Pr. Picardiae).
- 1761.- 1607: Et D.N... quietius vivat et desistat a sollicitudine negotiorum ad se non pertinentium. (In Domo Dantisci -- Pr. Saxoniae).
- 1762.- 1617: Et D.N... cesset a querelis nihil ad se pertinentibus. (In Domo Herbipolis -- Pr. Alemanniae Inferioris).
- 1763.- 1888. Adm. 10: Attendat Procurator quam indecorum sit negotiis secularibus Monachum se implicare, quam incongruum circa ea quae ad nos et ad nostram vocationem non pertinent satagere; experientia eruditus, in posterum talibus non se intermiscet. (In Domo Montis Rivi).

NOVITATES: (Vide etiam: 344-346)

- 1764.- 1442: Et Visitatores habeant se informare de cunctis novitatibus factis in Domo Papias, et talium praesumptione diligenter pensata, delinquentes exemplariter corrigere cum plena auctoritate Capituli Generalis. (Pr. Lombardiae prop.).
- 1765.- 1451: Et licentiam quam petit D.N... Sacrista Domus Sancti Martini prope Neapolim, tanquam peregrinam et stabilitati nostri sancti propositi contrariam, expresso et merito denegamus. (Pr. Lombardiae remotioris).
- 1766.- 1464: Et Prior et Conventus Domus Vallis Jesu Christi servent Statuta in expectando lectorem refectorii ad Nonam, ab Exaltatione usque ad Pascha, quia non licet eis novam legem facere contra Statuta Ordinis. (Pr. Cathaloniae).

[1767] NOVITATES II.

1767.-1467: Et committimus Prioribus Bononiae, Paduae, et Sancti Martini prope Neapolim, ut in descensu Capituli ad Domum Ferrariae accedant et super quibusdam novitatibus et controversiis in dicta Domo nuper obortis, diligenter se informent, et quos culpabiles invenerint, legitime puniant cum plena auctoritate Capituli Generalis. Et omnia alia quae repperint in dicta Domo reformanda seu de novo ordinanda habeant reformare et ordinare. (Pr. Tusciae).

NOVITII: (Vide etiam: 347-361)

- 1°: Circa receptionem.
- 2°: Circa pueros.
- 3°: Circa bona.

1°: NOVITII: Circa receptionem:

1768.-1341: Priores possint recipere Novitios dum tamen sint corpulenti et ad sustinendum Ordinem potentes.

1769.-1400: ...Consulimus Monachos Domus Portae Beatae Mariae quod de caetero sint magis cauti caventes ne recipiant phantasticos, ne deterius contingat... (Pr. Alemaniae Super.).

1770.-1418: Monemus Priores Ordinis ut amodo non recipiant Novitios minores aetate, sed serventur Statuta, nisi de licentia Capituli Generalis aut Reverendi Patris nostri Domni Cartusiae.

1771.-1427: Priori Domus Mediolani non fit via, et de Monacho quem petunt emitti, respondetur quod qualem receperunt, talem custodiant et portent. (Pr. Lombardiae propinquioris).

1772.-1446: Priorem Domus Belnae exhortamur in visceribus caritatis ut amodo in receptione Novitiorum sit magis cautus, nec ad incarcerandum personas Ordinis ita promptus. (Pr. Franciae).

1773.-1447:Injungimus Priori Domus Vallis Jesu Christi ut in futuro Capitulo scribat cum qua licentia recepit Monachos juniores citra aetatem in Statutis expressam, et ne amodo consimiles recipiat inhibemus sub poena suspensionis ab officio. (Pr. Cathaloniae).

1774.-1447: Et de personis quas Prior Domus de Miraflores cum suo Conventu petit de aliis nationibus sibi transmitti,

[1774] NOVITII

- consulimus quod, aut de sua Provincia recipiat, aut gratiam Dei in receptione personarum expectet. Et de D.N... hospite in dicta Domo de quo petunt exonerari, committimus Visitatoribus et taliter faciant quod non oporteat ad Cartusiam peramplius habere recursum. (Pr.Castellae).
- 1775.- 1448: Et Priori Domus Vallis Jesu Christi non fit mia, et injungimus sibi nonobstantibus excusationibus suis ut amodo in receptione personarum servet modum in Statutis expressum. (Pr.Cathaloniae).
- 1776.- 1465: Ordinamus quod stantibus tribulationibus patriae non recipiantur in Domo Scalae Dei personae ad quemcumque statum, sive Monachorum, sive Conversorum aut Donatorum sine licentia Capituli Generalis. (Pr.Cathaloniae).
- 1777.- 1486: Et de licentia quam petit Prior Domus de Paulari de recipiendo Novitios ad Professionem infra tempus probationis, servetur Statutum. Quod si fuisset observatum, non incidisset in casu D.N... Et ipse D.N...attentis his quae egit, sit contentus misericordia et honore sibi per Ordinem pie factis, ne Deus et Ordo habeant occasionem subtrahendi gratiam sibi factam. (Pr.Castellae).
- 1778.- 1486: Et Prior et Conventus Domus de Covis qui voluntarie receperunt D.N...qui erat dispensatus ab Ordine, habeant patientiam et supportent ipsum. (Pr.Castellae);
- 1779.- 1492: Et in Domo de Miraflores in receptione Novitiorum, serventur Statuta, non habita differentia generis vel alia dummodo conveniantur Statutis, non obstantibus Ordinationibus Visitorum. (Pr.Castellae).
- 1780.- 1495: Et sint Priores Provinciae Castellae cauti recipere personas idiotas et ignaras et de alia Religione existentes.
- 1781.- 1545: Et Prior Domus in Snals invigilet recipere Novitios necnon ut religiose in his quae sunt Dei et Ordinis instituantur, quia non est aptior Domus in tota Provincia ad id peragendum. (Pr.Alemaniae Superioris).
- 1782.- 1569: Omnes et singulos Priores et personas Ordinis Alemaniae Superioris hortamur et rogamus in Domino ut Novitios et personas Ordinis Christo lucrari et suscipere studeant, ne Divina et temporalia deficient.

[1783] NOVITII

1783.- 1570: Et de caetero in Domo Amsterdamenti Novitii non re-
cipiantur, nisi idonei, et recepti non profiteantur, nisi
de consensu alterius Visitorum. (Pr. Theutoniae).

1784.- 1585: Et D.N... Novitius qui erat in dicta Domo tempore
Visitationis expellatur. (Pr. Lombardiae remotioris).

1785.- 1594: Priori Domus Aulae Dei plurimum commendamus recep-
tionem bonorum Novitiorum pro Dei gloria et dictae Domus
ac Ordinis ornamento et populatione. (Pr. Cathaloniae).

1786.- 1715: In Domo in Snals: Caveatur in receptione, instruc-
tione Novitiorum et votorum collatione, tum pro investitio-
ne quum professione major adhibeatur cautela juxta formam
Statuti, de qua re invigilent Visitorum Provinciae. (Pr. Ale-
maniae Inferioris).

2º: NOVITII: Circa pueros: (Vide etiam: 11)

1787.- 1485: In Domo Majoricarum: Et quia non est consuetum in
Ordine nec etiam licitum quod pueri doceantur per Monachos
in claustro, de caetero prohibetur hoc fieri. (Pr. Cathaloniae)

1788.- 1559: Et D.N... Novitius, minoris et non legitima aeta-
tis, remittatur ad propria donec fuerit sufficientis aeta-
tis et litteraturae. (In Domo Vallis Pisii - Pr. Lomb. prop.).

1789.- 1568: In Domo SS. Stephani et Brunonis: Revocamus ordina-
tionem factam per Priorem Florentiae et collegam D.N...,
Commissarios Capituli Generalis, de seminario construendo,
prohibentes Priori ne ullo modo Seminarium promoveat.
(Pr. Lombardiae remotioris).

3º: NOVITII: Circa bona:

1790.- 1487: Et de his quae petit Conventus Domus Nannetarum
pro D.N... Novitio, quia Dominus Noster Jesus Christus com-
passione et dilectione Beatae Mariae Matris tamen non des-
cendit de cruce, ita nec est consuetum dimittere locum pro-
bonis temporalibus et caducis et habitum Ordinis Novicio ge-
rere per Mundum. (Pr. Franciae).

OBEDIENTIA: (Vide etiam: 362-367)

1º: Admonitiones generales.

[1790] NOVITII

II. OBEDIENTIA [1791] [1791]

2°: Erga Capitulum Generale vel Reverendum Patrem.

3°: Erga Visitatores.

4°: Erga Priorem.

1°: OBEDIENTIA: Admonitiones generales:

1791.- 1480: Et monemus Religiosos Domus Rosae prope Rothoma-
 ==== gum ut plus solito se disponant ad obediendum et ad pacem
 conservandam, et quod de temporalibus non se intromittant
 nisi secundum id quod Statuta concedunt. (Pr. Franciae).

1792.- 1557: Priorem Domus Coloniae rogamus ut ad exemplum
 ==== Christi sanctam obedientiam teneat et conservet, atque suo
 exemplo doceat caeteros crucem obedientiae patienter ferre
 usque ad finem et juxta gratiam sibi a Deo datam, Visitato-
 res, Priores et personas Ordinis, verbo et scripto informet,
 instruat et dirigat, et similiter Dominum Thomam Vicarium
 suum quem hortamur et praecipientes rogamus, ut ad formam
 sui Prioris et prout ab eo sibi fuerit injunctum et consul-
 tum, studeat vices Prioris exequi, et illius infirmitates et
 debilitates portare et supplere cum omni modestia et discre-
 tione. (Pr. Rheni).

1793.- 1609: D.N...imponimus silentium super querelis nobis ex-
 ==== positis et hortamur ut discat Superioribus melius obedire.
 (In Domo Vernae - Pr. Provinciae).

2°: OBEDIENTIA: Erga Capitulum Generale vel Reverendum Patrem:

1794.- 1405: Priori Vallis Sancti Antonii non fit mia. Et valde
 ==== miramur quod cum tanta temeritate contra Capituli Generalis
 Ordinationem uni nobili concessum sit et permissum aedificare
 domum pro inhabitatione sua non solum infra septa dicti Mo-
 nasterii, sed juxta refectorium... Quare Prior et Conventus
 propter suam inobedientiam et temeritatem digne merentur
 acerrime puniri... Et tam ipse quam Conventus studeant obe-
 dientiae sanctae filii esse non rebelles. (In Ungaria - Pr.
 Alemanniae Superioris).

1795.- 1475: Et admonitionem sibi factam per Reverendum Patrem
 ==== attendat Prior Domus Trajecti et secundum illam se emendet.
 (Pr. Theutoniae).

1796.- 1475: Priori Domus de Aniago non fit mia, quamquam minus
 ==== de eo simus contenti pro eo quod in sibi commissis per
 Priorem Domus de Covis plus sensui suo adhaesit quam manda-
 tis Reverendi Patris Cartusiae. (Pr. Castellae).

II. OBEDIENTIA [1796] [1796]

97.- 1524: Et D.N... junior hortamur ut Dei timorem prae oculis habendo, ordinationi nostrae obtemperet humiliter, ac mercedem laborum suorum non ab honore temporali, sed magis aeternam a Domino praestoletur. (In Domo Sancti Viti in Prulprope Ratisponam - Pr.Alemaniae Inferioris).

98.- 1579: Et Priorem Domus prope Olmütz hortamur ut saepe monitionem Capituli Generalis anni praeteriti auribus suis insonet. (Pr.Alemaniae Superioris).

3º: OBEDIENTIA: Erga Visitatores:

99.- 1425: Injungitur districte Priori de Castris ut ordinata per Visitatores deducat ad executionem. (Pr.Acquitaniae).

100.- 1428: Relaxationem Ordinationis Visitorum quam petunt N...et N...sibi fieri repudiantes, volumus quod Ordinationem ipsam, tanquam in Statutis fundatam, prout Reverendus Pater Cartusiae signavit, observent. Et caeteris in cunctis quae de moderamine pitantiarum et consuetudinibus honestati congruentibus Ordinis, pro sui humiliatione et profectu, bono animo obtemperare non recusent. Mirantes quod talis Pater qui tanquam Visitor, et notabilis Ordinis zelator dudum visus est, super hujusmodi tentatione aures Capituli Generalis audeat propulsare. (In Domo Salutationis B.V.M. prope Londonias - Pr.Angliae).

101.- 1450: Priori Domus Sancti Francisci de Miraflores non fit mia, et studeat diligenter ordinata per Visitatores observare et observari facere ne de ipso sit in futuro Capitulo querela. Et alias ut Serenissimus Rex Castellae et Legionis, Illustris, audiendo et etiam videndo suum bonum zelum, sit bene aedificatus et peramplius incitetur ad augmentandum et prosperandum suae Fundationis Monasterium juxta magnificentiam principalem. (Pr.Castellae).

102.- 1451: Et quia omnia et singula per Commissarios parte Reverendi Patris nostri Cartusiae inquisita, examinata, declarata, executata, et tandem, Deo gratias, optata pace terminata fuerunt, rata habentes et grata laudamus et approbamus ac etiam confirmamus. Ordinantes quod D.N...nuper Prior Domus praefatae de Witham in aliqua Domo Provinciae Angliae se Ordini conformando et in omnibus licitis et honestis in statu simplici Monachi ad quem reductus est obediendo sicut promisit habeat permanere, et se juxta votum emissum absque ulteriori discursu et evagatione in eadem Domo exemplariter stabilire. (Pr.Angliae).

II. OBEDIENTIA [1803]

1803.- 1470: Et Prior Domus Montis S. Joannis Baptistae in Has-
 sia, quia repertus est in pluribus Visitationibus non ad-
 quievisse paternis admonitionibus suorum Visitorum, nec eo-
 rum ordinationes effectualiter adimplevisse, sit extra sedem,
 etc.... (Pr. Alemanniae Inferioris).

1804.- 1470: Et Priorem Domus de Calci prope Pisas dure repre-
 hendimus; quia fuit rebellis et inobediens Visitori Pro-
 vinciae in actu Visitationis et extra; et caveat ne amplius
 sic faciat. (Pr. Tusciae).

1805.- 1481: Et quia confidimus de bona conscientia Visitorum,
 novem illis Monachis qui contra Visitatores appellarunt si-
 lentium imponimus, et pro apostolis quos petierunt, singulis
 unum Psalterium legendum injungimus, et quod obediant Visita-
 toribus ordinatis per Reverendum Patrem Cartusiae et Capitu-
 lum Generale. (In Domo Amsterdam - Pr. Theutoniae).

1806.- 1493: Observentur ordinationes factae per D.N. Visitoro-
 rem in Domo Scalae Dei, cum sint secundum Statuta, et Or-
 dinationes Capituli Generalis. Et observentur ordinatio-
 nes factae per Visitatores ab omnibus et singulis Domibus
 Provinciae Cathaloniae.

1807.- 1496: Et D.N. resignet imaginem Beatae Virginis quam
 tenet ad manum Visitoris sub periculo animae suae et
 Diffinitores ordinaverunt quod praedicta imago mittatur ad
 Cartusiam. (In Domo Noviomii - Pr. Picardiae).

1808.- 1577: Et Prior Domus Montis Merulae servet et servari fa-
 ciat ordinationem nuper a Visitoribus factam de victu et
 vestitu tam Monachorum quam Conversorum. (Pr. Burgundiae).

1809.- 1615: Prior Domus Bonae Fidei quamprimum exequatur ordi-
 nationes praecedentis Visitationis de ornanda Ecclesia et
 providenda Domo de necessaria suppellectile. (Pr. Aquitaniae).

4°: OBEDIENTIA sive Reverentia erga Priorem:

1810.- 1375: Priori Domus Parci non fit via, et Monachi dictae
 Domus amodo non molestent Priorem suum verbis vel factis,
 alias per Visitatores vel Capitulum Generale graviter punian-
 tur. (Pr. Franciae).

1811.- 1399: Et ille Monachus qui non vult obedire suo Priori,
 sed solitariam ducere vitam, nisi tertio monitus, praesen-
 te Conventu, et ex nunc per omnia obedire sit paratus, ex de-
 creto Capituli carceri intrudatur, et ibidem pane doloris se-

II. OBEDIENTIA [1811]

[1812] OBEDIENTIA

- ==== cundum discretionem Prioris sustentetur. (In Domo Terraciae, sive Vallis Paradisi - Pr.Cathaloniae).
- 1812.- 1417: D.N...imponimus silentium de caetero scribendi
==== contra Priorem suum. (In Domo Sancti Audomari - Pr.Pi-
cardiae propinquioris).
- 1813.- 1449: Et D.N...et D.N...de sinistra machinatione contra
==== Priorem suum suspectos, committimus Visitoribus Provin-
ciae, veritate diligenter cognita, puniendos. Similiter il-
lum praebendarium dictae Domus, sub conditionibus honestis et
in Ordine solitis, pro pace et bono communi Domus, rationabi-
liter restringendum est, alioquin Capitulum Generale provide-
bit. (In Domo in Hassia - Pr.Alemaniae Inferioris).
- 1814.- 1454: Et D.N...super his quae scribit stet contentus ju-
==== dicio et consilio Prioris sui. (In Domo in Herbipoli -
Pr.Alemaniae Inferioris).
- 1815.- 1457: Et D.N...qui saepenumero verbis gravibus et inju-
==== riosis insurrexit contra Priorem suum nec vult se emendare,
carceri mancipetur ad Ordinis voluntatem. (In Domo Silignia-
ci - Pr.Burgundiae).
- 1816.- 1458: Et Monemus Monachos Domus Glanderii quatenus sint
==== plus solito obedientes suo Priori, taliter quod in futuro
Capitulo de bona sua obedientia Ordo possit quietari. (Pr.Ac-
quitaniae).
- 1817.- 1464: Et monemus seriose omnes Monachos Domus Nannetarum
==== quatenus propter Dei honorem, Ordinis reverentiam et Fun-
datorum bonam aedificationem, suo Priori veram obedientiam
exhibeant. (Pr.Franciae).
- 1818.- 1464: Et monemus Monachos Domus prope Mediolanum quate-
==== nus conformando se voluntati Dei et Ordinis, habeant se re-
verenter et pacifice ad Priorem suum taliter quod de bona eo-
rum emendatione et pace Ordo valeat merito contentari. (Pr.
Lombardiae propinquioris).
- 1819.- 1476: Et quia D.N...et D.N...Monachi Domus Scalae Dei
==== consueverunt nec adhuc cessant turbare Priores dictae Do-
mus in detrimentum animarum suarum et ejusdem Domus dispen-
dium, volumus quod sint in disciplina generali ad Ordinis
voluntatem. (Pr.Cathaloniae).
- 1820.- 1486: Et praeficimus in Vicarium Domus Vallis Benedic-
==== tionis D.N...et studeat amodo taliter se habere cum suo

[1820] OBEDIENTIA

II. OBEDIENTIA [1821]

Priore, Conventum dirigendo et in pace conservando, quod Capitulum Generale bonam relationem de eo habeat in futurum. Et quia Conventuales aliqui dictae Domus Vallis Benedictio- nis consueverunt esse molesti Priori Cartusiae super annum et Capitulo Generali de mutatione Priorum suorum, ut patuit in Reverendo Patre Domino Antonio (Dellieux) tunc suo Priore, Domnis Alano et Laurentio ultimis suis Prioribus, et ultimo tam super annum quam in isto Capitulo de suo Priore moderno, quorum scripta non sunt visa rationabilia Patribus Diffini- toribus, imo visa sunt eorum scripta satis voluntaria, ideo caveant amodo ab hujusmodi infestationibus sub poena indigna- tionis Dei et Ordinis. (Pr. Provinciae).

1821.- 1486: Et Fr.N...stabiliat se in Domo Neapolis et reli-
==== giose ac obedenter consersetur, aliter Prior per disci-
plinam Ordinis eum dirigat in timore Dei et sanctas Ordinis
observantias. (Pr. Lombardiae remotioris).

1822.- 1497: Personis Ordinis in Domo Sancti Viti prope Ratis-
==== ponam existentibus committimus et volumus ut sine contradic-
tione obediant novo Priori si Dei et Ordinis velint effugere
ultionem. (Pr. Alemaniae Inferioris).

1823.- 1504: Et D.N...pacifice se habeat cum Priore suo et aliis
==== sicut decet Religiosos. (In Domo Montelli - Pr. Tusciae).

1824.- 1518: Et D.N...se stabiliat et consilio sui Prioris ac-
==== quiescat, qui tenerrime eum diligit. (In Domo Petrae Cas-
tri - Pr. Burgundiae).

1825.- 1532: Hortamur Domus prope Franckenford Professos ut sta-
==== biles et immobiles in omni opere bono sub Prioris regimine
perseverent, ejus monitis prompte et alacriter, sicut decet
sanctos, obediant; neque de caetero circa Praelatorum suo-
rum mutationem, levitate uti praesument. (Pr. Saxoniae).

1826.- 1558: Hortamur Conventuales Domus Nannetarum pro Priore
==== suo scribentes ut orationibus, charitate, quietate et reli-
giosa conversatione illum juvent, quatenus cum gaudio et
non cum murmure praesit eis et prosit. (Pr. Franciae).

1827.- 1561: Et D.N...abstineat a sua inquietudine et sit subdi-
==== tus Priori, alias Ordo providebit. (In Domo Majoricarum -
Pr. Cathaloniae).

1828.- 1561: Et hortamur Conventuales Domus Erfordiae ut melius
==== solito revereantur et obediant Priori suo, alioquin poenas
Statutorum non evadent. (Pr. Alemaniae Inferioris).

II. OBEDIENTIA [1828]

[1829] OBEDIENTIA

1829.- 1586: In Domo de Miraflores: ...Et juniores Monachi mo-
rem gerant et reverentiam exhibeant Priori suo, alioquin
corrigantur et resipiscant. (Pr.Castellae).

1830.- 1589: Et D.N...acquiescat sanis consiliis Prioris, alio-
quin poena triremium puniendus. (In Domo Portus B.Mariae -
Pr.Acquitaniae).

1831.- 1591: Hortamur Conventuales Domus Ferrariae a caetero
quietius agere et discere se non solum bonis et modestis Su-
perioribus, sed etiam discolis, si qui tales sint, reverentiam,
amorem et obedientiam habere, ut cum gaudio gravissimum onus
praelationis ferant, et non quasi gementes. (Pr.Tusciae).

1832.- 1591: Et D.N...coerceat linguam suam et manum suam ad-
versus Priorem suum longe illo et vita et fama meliorem.
(In Domo Clarimontis - Pr.Lombardiae remotioris).

1833.- 1609: Priorem Domus Ruremundae bene Domui intendentem
revereantur et ament sui magis. (Pr.Rheni).

1834.- 1609: Hortamur Conventuales Domus Shene Anglorum ut se
stabiliant et reverentius erga suum Superiorem se gerant.
(Pr.Theutoniae).

1835.- 1623: Et D.N...submittat totum directioni Superioris.
(In Domo Rosae prope Rothomagum - Pr.Franciae).

1836.- 1650: Et D.N...discat exhibere reverentiam et subjec-
tionem Superioribus suis, alioquin sentiet disciplinam
Ordinis. (In Domo in Maurbach - Pr.Alemaniae Superioris).

1837.- 1728: Serio monemus DD.NN...ne insolescant amplius ver-
bis et scriptis contra Superiorem, ne sentiant virgam Or-
dinis. (In Domo Montis Merulae - Pr.Burgundiae).

1838.- 1879. Adm.12: Monachos illos qui, in nostris Italiae Do-
mibus, a civili Gubernio tanquam earundem Domorum Procura-
tores vel Administratores nominati sunt, hortamur et obsecra-
mus in Domino ut suis Praelatis in omnibus subditi sint et
obsequentes, sicut decet Religiosos, et ut bonum Christi odo-
rem per opera et mores ubique diffundant.

OBEDIENTIAE:

1839.- 1505: Et committimus Priori Domus Buxiae ut officinas Do-

II.OBSERVANTIA [1840]

mus singulas, quantum potest, personis Ordinis provideat.
(Pr.Alemaniae Inferioris).

=====

OBSERVANTIA: (Vide etiam: 368-369)

1840.- 1471: Et D.N...in Domo Sanctae Crucis in Jaresio non ha-
==== beat aliquam administrationem temporalem, sed studeat se
conformare cum aliis Monachis in observantiis regularibus ta-
litter quod Ordo valeat de ipso contentari. (Pr.Acquitaniae).

1841.- 1516: Pro Domo Sanctae Crucis in Urbe: ...Et ut in tanta
==== Urbe, quae Caput est Orbis, etsi plena propter loci indis-
positionem non possit, saltem possibilis observantia tenea-
tur, volumus et pariter ordinamus, alias ordinata, insequendo
quod in dicta Domo sint et jugiter teneantur ad minus sex Mo-
nachi sacerdotes cum Priore, Missam celebrantes, et quod in
Divino Officio et caeteris Ordinis observantiis, quantum com-
mode fieri poterit et humana infirmitas hoc permiserit, con-
forment ritui et Statutis Ordinis, super quibus Prior ipse
diligenter invigilet, ut hic, Ordo noster, inter luminaria
magna, velut stella matutina fulgeat in medio firmamenti, ad
Dei laudem et ejusdem Ordinis incrementum. (Pr.Lombardiae re-
motioris).

1842.- 1518: Et D.N...Professus Domus Rutilae, hospes in Domo
==== Moguntiae, maneat ibidem, discendo mores Ordinis, ut ali-
quando possit esse utilis in Domo Professionis suae. (Pr.Rhe-
ni).

1843.- 1521: Et Visitatorem Provinciae hortamur ut diligenter
==== invigilet quatenus Prior Domus Horti Christi Statuta et mo-
nita Visitorum observet melius et observari ab aliis fa-
ciat. (Pr.Alemaniae Inferioris).

1844.- 1526: Priori Domus prope Legnitz non fit mia. Quem in Do-
==== mino adhortamur ut terminos quos Patres nostri, Spiritu
Sancto pleni, constituerunt, non transgrediatur, ac spiritum
carni semper praeferendum sciat. (Pr.Alemaniae Inferioris).

1845.- 1529: Et D.N...nocte ac die faciat quae Ordinis sunt, a-
==== liquin injungitur Priori ut per subtractionem victualium
ad id eum compellat, quia Domus suae Professionis pro eo ta-
xam amplius non solvet. (In Domo Glanderii - Pr.Acquitaniae).

1846.- 1529: Prioris Domus Basileae constantiam praedicantes,
==== una cum fratribus eundem hortamur ut memores Cui in assump-

II.OBSERVANTIA [1846]

[1847] OBSERVANTIA

tionem status perfectionis fidem promiserint, caveant ipsam irritam facere. (Pr. Rheni).

1847.- 1531: Concedimus licentiam Priori Domus in Pletriach, quando per incursum Turcorum necessitas ingruerit, se cum suis transferendi ad loca tutiora; interim Dei clementiam humiliter ac ferventer cum suis deprecetur ac in Religionis nostrae observantia constanter permaneat, desuper consolationem ab his miseriis expectando. (Pr. Alemanniae Superioris).

1848.- 1533: Hortamur omnes tam Priores quam subditos trium Provinciarum Italiae, et pro Christo cujus legatione fungimur obsecramus ut ad nostri Ordinis constitutiones sic vitam et mores componant, ut veri Jesu Christi imitatores et Cartusienensis vocationis observatores inveniantur. Si quominus, de altiori remedio sacer Ordo noster providebit.

1849.- 1533: Et personas Ordinis nostri in Domo in Grünaw in Christo degentes exhortamur ut sint vigilantiores solito circa Divinum Officium et sacri Ordinis nostri observantias. (Pr. Alemanniae Inferioris).

1850.- 1556: Monemus Priorem Domus in Olmütz ut Deum praesentem habendo ea quae suae vocationis sunt religiose solvat et exequatur. (Pr. Alemanniae Superioris).

1851.- 1561: Et hortamur Religiosos Domus Moguntiae in Domino ut memores vocationis suae, studeant observantiae Ordinis simul et paci, dimittendo Priorem agere in temporalibus quae pro necessitate illius combustae Domus sunt. (Pr. Rheni).

1852.- 1568: Priorem Domus Montis Dei cum suis rogamus ut bonam observantiam Ordinis observare, ac magis et magis augere studeat ut obmutescere faciant ora illis ac universae religioni detrahentium. (Pr. Picardiae).

1853.- 1568: Priorem Domus Abbatisvillae ut sui sancti propositi memor religiose conversetur, adeo ut conquerentium ora juste obstruat, et faciat observare a suis ea quae sunt Ordinis, eos fovens in pace et mutua charitate. (Pr. Picardiae).

1854.- 1568: Priorem Domus Lyrae rogamus et hortamur ut observantiam regularem sub suo praedecessore laudabiliter vigentem restituat, et ad id omnes provocet et compellat. (Pr. Theutoniae).

1855.- 1578: Et committimus Visitatoribus Provinciae ut tam pro instruendis Novitiis quam pro introducenda regulari

II. OBSERVANTIA [1856]

- disciplina Priori Domus Wesaliae provideant de religiosis timoratis et exemplaribus ex Domo Coloniae vel alia reformata. (Pr. Rheni).
- 1856.- 1581: Et D.N. . . obediatur consilio Prioris et conformet se aliis Patribus in iis quae spectant ad honorem Dei et Ordinis, alias Ordo providebit. (In Domo Parmae - Pr. Lombardiae propinquioris).
- 1857.- 1590: Priori Domus de Paulari plurimum commendamus observantiae regularis tenorem, suis vero conventualibus et filiis pacem ad invicem et maxime ad suum Superiorem, necnon spiritualium et piorum exercitiorum consecrationem, relicto status temporalis et rei secularis implicationibus et curis. In silentio enim et quiete et pace est fortitudo et profectus cartusiani, maxime juniorum. (Pr. Castellae).
- 1858.- 1643: Et D.N. . . toties quoties sine rationabili causa se absentaverit a Divinis Officiis privetur vino, et monemus Priorem ut sibi et gregi suo sollicitius attendat. (In Domo Apxacensi - Pr. Alemaniae Superioris).
- 1859.- 1714: Quod si qui sint inter conventuales Domus Parmae qui sua inobservantia possint tantum bonum (institutionis Novitiatus) retardare, ab hac Domo ad alias ejusdem Provinciae emittantur, ut pia Serenissimi Principis intentio, cui implendae Capitulum Generale omne studium suum semper impensurum est, remotis impedimentis, quamprimum perficiatur. (Pr. Lombardiae).
- 1860.- 1715: Et injungimus Visitoribus omnem diligentiam adhibere, ut totius observantiae Cartusiensis studium in Domo Parmae restituatur et vigeat ad hoc ut possit deinceps Novitios recipere, obtenta prius licentia a Procuratore nostro Generali, sine cujus consilio et consensu volumus ut nihil agatur. . . . (Pr. Tusciae: mutatio Provinciae in hoc anno).
- 1861.- 1717: Rectoris Domus de Cazalla laudantes zelum quo construendis Ecclesiae et Sacristiae aedificiis incumbit; et eorum continuationem, et ut nihil inconsulto Visitatore agrediatur ei suademus, ac ut in dicta Domo pro nunc possibilis species observantiae cartusiensis effulgeat, Visitatores in Domino exhortamur ut sedulam sollicitudinem exhibeant, ne minus quam sex Monachi commorentur in ea, inter quos sit qui dotibus in Statuto praescriptis decoratus, officium Vicarii exercere valeat. (Pr. Castellae).

1. 2. 39

1862.- 1794: Ex Ordinatione pro his qui ex Gallia ad Domos Ordinis

II. OBSERVANTIA [1862]

nis confugerunt: ...Quilibet admissi debent in manus Prioris tradere pecuniam, horologia parva et omnia alia paupertati parum consona, quae penes se habere possunt.....Dispensationes a Reverendo Patre vel Visitoribus concessae non valent nisi pro Monachis qui extra Domos suas degunt; qui vero in aliqua Domo Ordinis recepti sunt, in ea se gerere debent sicut alii Monachi Ordinis, et in omnibus sequi Conventum. - Attamen quia declaravit Summus Pontifex quod Priores e Domibus suis ejecti semper ut Priores habendi sunt, possunt in Conventu locum suum tenere a parte sinistra chori, non tamen in transversis sedibus. Laudamus Priores qui in claustro cellas eligunt, ut vivant sicut caeteri Monachi.....A Domo egredi non possunt isti Priores, nisi pro spatiamenti una cum Monachis.....Actum in Diffinitorio, 21 Maii 1794.

1863.- 1839: Priori Domus Partis Dei non fit mia. Veruntamen habemus adversum ipsam Domum pauca, scilicet, quod charitatem, seu zelum Statutorum quem primo post ultimam Visitationem exhibebat dereliquerit, et securim correctionis usque ad radices cujuslibet abusus non perduxerit. Ideo Venerabilem Patrem Priorem hortamur in Domino et quatenus opus est praecipimus ei, ut perficiat opus reformationis, quod laudabiliter, secundum Dei et Visitorum voluntatem, inceperat: sit igitur vigilans et superintendat omni rei Domus suae secundum Statuta nostra et praesertim secundum n.5, Cap.III, Iae P.St., studeatque ut cognoscat funditus sumptus et redditus sicut et pecuniam Domus suae, et si adsunt sumptus sufficientes, provideat in hoc casu ut aedificia Domus suae bene sint restaurata, et cellulae nondum aedificatae aedificentur. Venerabilem autem Patrem Procuratorem hortamur in Domino, et, si opus est, ei praecipimus ut se ad praedicta facilem et paratum exhibeat, fidelemque observatorem Statutorum nostrorum se demonstret, et cum, ratione sui officii, terminos suae Domus egredi debuerit, hoc semper sciente et annuente Priore suo faciat, et cum honesta comitiva.

=====

OFFICIALES: (Vide etiam: 370-378)

- 1º: Chorum sequi debent.
- 2º: Obedire debent.
- 3º: Multiplicatio officialium - Residentia.
- 4º: Non nimis frequenter mutandi sunt.
- 5º: Inhabilitas.

II. OFFICIALES [1864]

1°: OFFICIALES: Chorum sequi debent:

1864.- 1742: Pro Provincia Sancti Brunonis: Officiales et qui
 extra claustrum commorantur, quamdiu in Domo sunt, tenen-
 tur interesse choro die noctuque, nisi legitime detineantur
 impedimento; qui contra fecerint, ipso facto ad observantiam
 claustrum revocentur. Visitatores et Piores super hoc atten-
 te invigilent ac exemplo provocent, quatenus Divinum Officium
 cum fervore jugiter in Ordine persolvatur.

2°: OFFICIALES: Obedire debent:

1865.- 1180: Conversi de obedientiis suis faciant secundum vo-
 luntatem Prioris et Procuratoris.

1866.- 1402: Propter pacem Domorum et quietem nolumus quod ali-
 quis Monachus deputatus vel praepositus alicui operi Domus
 non perfectae sit corruerius in eadem Domo; si qui sint, eos
 absolvimus nec possint reponi. Item quod in omnibus subjian-
 tur tam in operibus quam in aliis suis Prioribus, nec de regi-
 mine Domus, nisi injuncti, se intromittant, nec extra Domos
 faciant longas moras.

3°: OFFICIALES: Multiplicatio officialium - Residentia:

1867.- 1699: In Domo Florentiae: Prohibemus ne sub quolibet
 praetextu instituat ibi novus officialis ultra numerum
 antea permissum. - Idem in Domo Pisarum. - (Pr. Tusciae).

1868.- 1706: Prior Domus Lucae absolutus ad suam magnam instan-
 tiam revertatur ad Domum Bononiae suae professionis, prout
 petit, ibique exerceat officium Procuratoris obedientiae Fe-
 gadeli, ea tamen conditione ut nullus instituat deinceps
 in illius loco, ne multiplicentur officiales ad externa.
 (Pr. Tusciae).

1869.- 1716: Et in civitate Neapolitana nullus deinceps insti-
 tuatur Procurator pro Domo Padulae sine expressa licentia
 Reverendi Patris. - Prior absolutus Domus Trisulti exerceat
 officium Procuratoris in Grangia Montis S. Joannis, et praefa-
 ta illius institutione in procuratione istius Grangiae sup-
 pletum erit numero officialium, si qui desint in hac Domo,
 nec alius novus instituat. (Pr. Sancti Brunonis).

1870.- 1745: In Domo de Covis: Inhibemus tam Priori quam offi-
 cialibus ne de caetero pernocent in grangia de Campogaz
 quia vicinior est Monasterio. (Pr. Castellae).

II. OFFICIALES [1870]

[1871] OFFICIALES

1871.- 1749: Pro tribus Provinciis Italiae: Audivimus Ordina-
==== tionem Capituli Generalis anni 1678 (n.:374) licet factam
ex speciali mandato SSmi Domini nostri Innocentii Papae De-
cimi, et renovatam a Capitulo Generali anni 1738 (n.: 376),
in pluribus tamen trium Provinciarum Dombus nullam habuis-
se, nec nunc habere executionem; unde strictius sub poena
absolutionis officialium qui moram faciunt in grangiis post
expleta negotia, quae per eos explenda sunt personaliter,
atque etiam Priorum, qui moras istas inutiles permittunt
aut dissimulant, mandamus et ordinamus quatenus praefatae
serventur Ordinationes. Et Visitoribus injungimus, ut in
actu Visitationis interrogent omnes, an fuerint observatae,
de quo mentionem expressam faciunt in Chartis Visitationum.

1872.- 1750: Ordinationem anno praeterito factam pro tribus Pro-
==== vincii Italiae, quae incipit: "Audivimus..." confirmamus.
Visis omnibus Admonitionibus per Patres Commissarios factis
in qualibet hujus Provinciae Domo, et auditis super illas
Prioribus in Capitulo praesentibus, praecipimus ut omnes is-
tae Admonitiones ordinationis effectum sortiantur, et ubi-
que observari stricte mandamus, injungentes Prioribus et
Visitoribus, sub poena absolutionis ut earum observationi
sollicite invigilent. Insuper prohibemus ne deinceps, morte
alicujus officialis adveniente, ullus in ejus locum substi-
tuatur, inconsulto Reverendo Patre vel Capitulo Generali,
ut nimis officialium numerus sensim minuat.

1873.- 1752: Ut Summi Pontificis mandatum assequamur, mandamus
==== Patribus Visitoribus trium Provinciarum Italiae ut, post-
posito omni humano respectu et affectu, solumque Deum ac Or-
dinis utilitatem prae oculis habentes, mature in qualibet
Domo examinent, nobisque quamprimum referant, qualis in una-
quaque Domo officialium numerus necessario requiratur.

4°: OFFICIALES: Non nimis frequenter mutandi sunt:

1874.- 1471: Et Monachos Domus Lanceae merito reprehendimus pro
==== eo quod nimis frequenter et sine causa volunt habere muta-
tionem Priorum et propter hoc scribunt Capitulo Generali con-
tra Priores suos ut absolvantur et Priorem habeant ad placi-
tum eorum. Et ideo caveant amodo ne talia praesumant atten-
tare. (Pr.Gebennensis).

5°: OFFICIALES: Inhabilitas:

1875.- 1497: Et inhabilitamus D.N... et D.N...ad officia Ordinis
==== quia sunt turbatores pacis et de aliis permultis notati...
(In Domo Papiae - Pr.Lombardiae propinquioris).

[1875] OFFICIALES

II.OFFICIALES [1876]

1876.- 1589: Quoniam per malos et ineptos officiales, magna ma-
 lorum pars oritur in Ordine: praecipimus in virtute sanc-
 tae obedientiae, neminem unquam posse eligi aut institui
 Priorem, Vicarium, Antiquiorem, Procuratorem et Sacristam,
 multo autem minus Visitatorem cujuscumque Domus vel Provin-
 ciae, qui semel crimen commiserit, de quo constet, vel qui
 sit aperte malae famae, aut etiam dubiae et suspectae apud
 probos et graves viros vel Ordinis vel etiam extraneos, prout
 expresse habetur in Statutis; quod si aliter alicujus officia-
 lis electio aut institutio facta fuerit, ipso jure nulla sit.

OFFICIORUM ACCEPTATIO: (Vide etiam: 379)

1877.- 1418: Ordinamus quod quia D.Guillelmus Guichardi fuit
 inobediens Visitoribus ad receptionem Prioratus Caturci
 sit in disciplina generali per sex menses a receptione prae-
 sentium computandos. (Pr.Acquitaniae).

1878.- 1448: Domui Sancti Ambrosii prope Mediolanum, perlectis
 tribus litteris nostro Capitulo seriose transmissis, et
 omnibus hinc inde diligenter pensatis, praeficimus in Prio-
 rem D.N...Vicarium Domus Astensis, alias per Conventum Domus
 praedictae Sancti Ambrosii primo electum et per Visitatorem
 Provinciae confirmatum. Et si, quod absit, obedientiam nos-
 tro Capitulo subterfugere voluerit, cum nullum habeat excu-
 sationis rationabile fundamentum, ad exemplum aliorum carce-
 ri mancipetur, ibique ordinem teneat in victualibus quousque,
 vexatione sibi dante intellectum, obediat, non obstante quod
 de inobedientia jam commissa posset legitime puniri; nihilo-
 minus in tali casu incarcerationis, si contingat, committi-
 mus regimen spiritualium Vicario Domus Mediolani et tempora-
 lium Procuratori, cum consilio tamen et directione Prioris
 Papiae Visitoris eidem obediendo in omnibus sicut nobis.
 (Pr.Lombardiae propinquioris).

1879.- 1486: Praeficimus Priorem Domus in Hassia D.N...quem in
 Domino exhortamur ut omni pusillanimitate deposita in utro-
 que regimine se gerat strenue. (Pr.Alemaniae Inferioris).

1880.- 1498: Praeficimus in Priorem Domus Rutilae D.N...hortan-
 tes eundem in Christo onus obedientiae humiliter acceptare
 ad augmentum divinae gratiae. (Pr.Rheni).

1881.- 1523: Praeficimus in Priorem Domus Moguntiae D.N...Procura-
 torem Domus Coloniae, qui mox, lecta Charta, omni excusatio-
 ne cessante, ascendat ad Domum sibi commissam. (Pr;Rheni).

II.OFFICIORUM ACCEPTATIO [1881]

[1882] OFFICIORUM ACCEPTATIO

1882.- 1529: Praeficimus in Priorem Domus Caturci D.N...quam-
vis multis rationibus a dicta obedientia subeunda se excu-
santem, sed propter Dei honorem et animarum salutem Ordinis
voluntati se subjicientem. (Pr.Acquitaniae).

1883.- 1540: Priorem Domus Coloniae exhortamur in Domino ut in-
duat animum virilem ad subeundum onus pastorale sibi in-
junctum. (Pr.Rheni).

1884.- 1609: D.N...a Conventualibus Domus Scalae Coeli electum
in Priorem confirmamus, quem ad officium forsan recalci-
trantem hortamur in Domino, ut pro obedientia, munus sibi im-
positum alacriter et fortiter obeat. (In Lusitania).

1885.- 1609: D.N...praecipimus ut, pro sua in Ordine obedientia
et in suos comprofessos caritate, ad regimen Domus de Pau-
lari alacriter accedat, non obstantibus quibuscumque licen-
tiis in contrarium facientibus. (Pr.Castellae).

OFFICIUM DIVINUM: (Vide etiam: 380-381)

1886.- 1420: Priori Domus de Bethleem non fit mia, et in his
quae concernunt Divinum Officium conformet se Ordini...
(Pr.Angliae).

1887.- 1424: Priori Sanctae Annae Coventry non fit mia, cui
Priori et caeteris Domorum dictae insulae Angliae impo-
nitur perpetuum silentium de se conformando Religiosis et
Clericis dictae insulae in Officio Beatae Virginis cum sit
contra Statuta de uniformitate in Divino Officio, et si a-
lias Capitulum Generale infestaverint super hoc, qui culpa-
biles fuerint faciant tres abstinentias in pane et aqua.
(Pr.Angliae).

1888.- 1461: Et ordinamus quod si aliquis de Monachis Domus
Montis Benedicti non vult facere debitum suum prout tene-
tur tam in frequentando Ecclesiam quam in celebrando Missas
more Ordinis sancto, quod Prior sentiendo cum Apostolo per
restrictionem victualium eum compellat, ut qui non laborat
ad exemplum aliorum non manducet. Et nihilominus si aliquis
Monachus dictae Domus ad aliam Domum Italiae se transferat,
volumus et ordinamus quod Prior illius Domus ad quam se trans-
tulerit indilate ad Domum sua remittat. (Pr.Lomb. prop.).

1889.- 1465: Et cum Domus Bonipassus sit opulenta ad sustinen-
dum plures Monachos, injungimus sibi ut procuret sibi Mona-

[1889] OFFICIUM DIVINUM

II. OFFICIUM DIVINUM [1890]

- chos pro augmento cultus Divini. (Pr. Provinciae).
- 1890.- 1466: Et D.N...vadat ad Domum Sylvae Benedictae pro juva-
==== mine Divini Officii ad Ordinis voluntatem. (Pr. Burgundiae).
- 1891.- 1491: Et de licentia quam petit Prior Domus Rosae prope
==== Rothomagum super abbreviationem Lectionum in Matutinis,
conformet se modo Ordinis, quia uniformitas in Officio Di-
vino observari debet. (Pr. Franciae).
- 1892.- 1515: Et D.N...de Domo Casularum vadat hospitatum ad Do-
==== mum Sancti Stephani de Bosco in Calabria, noviter incorpo-
rata Ordini nostro Cartusiensi, pro reformatione dictae Do-
mus, et Divino Officio ibidem instituendo et continuendo mo-
re Ordinis. (Pr. Lombardiae remotioris).
- 1893.- 1572: Et D.N...in vinea Domini laboret, alioquin non
==== manducet, sequaturque Ecclesiam et celebret sub poena res-
trictionis victualium ad discretionem Prioris, atque etiam
carceris. (In Domo Vernae - Pr. Provinciae).
- 1894.- 1666: Inhibetur in Domo de Paulari aliquid recipi pro
==== eximendo aliquo a sequela chori et communitatis. (Pr. Cas-
tellae).

ORATIO: (Vide etiam: 387)

- 1895.- 1456: Exhortamur omnes personas Ordinis et sinceris af-
==== fectibus provocamus ut in suis peculiaribus et secretis
orationibus et devotionibus maxime tempore nocturno, contem-
plationi disposito, habeant Sanctissimum nostrum Papam et
statum militantis Ecclesiae propensius recommissos.
- 1896.- 1499: Et juvenes Monachi Domus Montis Hilaris melius fa-
==== cerent intendere orationi et lectioni quam se interponere
de dispositione Domus, ad quos non pertinet. (Pr. Cathaloniae)
- 1897.- 1511: ...Quoad electionem de D.N...factam, quamvis de
==== persona exemplari et alias in spiritualibus idonea, licet
in temporalibus minus experta, quia tamen dictus N...subesse
desiderat potius quam praesse, et unum quod est optimum et
summum et necessarium bonum cum Maria possidere quam multa
cito ruitura cum Martha sollicite quaerere...Propterea, eo
instante, absolvimus...(In Domo Vallis Christi - Pr. Catha-
loniae).

II. ORATIO [1897]

[1898] ORATIO

1898.- 1525: Et D.N... Professus Domus Diestensis vadat hospiti-
==== tatum ad Domum Monialium prope Brugis, ut ibi possit com-
modius spiritualibus vacare. (Pr. Theutoniae).

1899.- 1573: In Domo Majoricarum: Et quanto remotiores sunt a
==== Domibus Visitatorum Provinciae, eo religiosius conversen-
tur et vivant, habentes Dei timorem et amorem pro Visitato-
ribus. (Pr. Cathaloniae).

ORDINES SACRI: (Vide etiam: 390-394)

1900.- 1332: D. Petrus Pictet, Monachus Partis Dei, qui per quin-
==== decim dies distulit redire ad Domum suam quando ivit ad Or-
dines, per mensem sustineat generalem disciplinam, et quatuor
vices comedat ad terram in refectorio. (Pr. Gebennensis).

1901.- 1450: Priori Portae Coeli injungimus ut quando habebit
==== mittere Monachos pro Ordinibus suscipiendis.... Illis Mo-
nachis sub poena inobedientiae injungimus ne aliquod monas-
terium Monialium habeant visitare, alias, si contrarium fiat,
ipso facto sit dictus Prior ab officio Prioratus suspensus,
et Monachi, post regressum ipsorum, carceribus mancipentur,
ad Ordinis voluntatem. (Pr. Cathaloniae).

1902.- 1654: In Provincia Cathaloniae: Ut tollatur abusus in
==== mora inordinata pro suscipiendis Ordinibus Sacris facta,
et in divertendo notabiliter a recto itinere, servetur n. 20,
Cap. III, Primae Partis Statutorum.

1903.- 1714: In Provincia Alemaniae Inferioris: Servetur n. 20,
==== Cap. III, Iae Partis Statutorum: Priores non mittant aut Or-
dinariis praesentent Monachos pro suscipiendis Ordinibus abs-
que praevio examine ab iisdem Prioribus faciendo; nec faciant
majorem moram ultra terminum praefatum sub poena in eodem pa-
ragrapho contenta.

PARENTES: (Vide etiam: 395-404)

1904.- 1396: Petentes a Domino Cartusiae patre nostro licentiam
==== propinquos suos vel alios, ubivis extra terminos Domorum
in quibus resident, visitandi, nullatenus audiantur, sed pro
temeritate acriter puniantur.

[1904] PARENTES

II. PARENTES [1905]

- 1905.- 1334: Prior Beatae Mariae de Capella, propter inordinatam petitionem quam fecit de ducendo Monacho suo ad parentes suos, contra Statuta Ordinis, sit extra sedem in Ecclesia per unum mensem. (Pr. Picardiae).
- 1906.- 1381: Sororem Catharinam nimis de parentibus et amicis confidentem, absolvimus ab officio Subpriorissae Domus N... et de caetero non praeficiatur in aliquo officio. Et procurret quod dicti parentes sui Vicariis et aliis personis Ordinis molestias non inferant, alias redundabit in caput suum.
- 1907.- 1478: Et de his quae petit D.N... de visitandis parentibus habeat patientiam, nam talis licentia sibi denegatur. (In Domo Papias - Pr. Lombardiae propinquioris).
- 1908.- 1478: Et quia intelleximus quod D.N... Vicarius Domus Padulae modis exquisitis intendit accedere ad partes suas Brixiae, ideo prohibemus eidem ne hoc attentare audeat sed potius seipsum stabilire studeat in dicta Domo. (Pr. Lombardiae remotioris).
- 1909.- 1484: Et D.N... quia non ivit expedita via et recta redeundo a Cartusia ad Domum suam Scalae Dei, sed moram fecit cum parentibus contra morem Ordinis, cum quibus longo tempore celebravit divina, sicut ipse fatetur per litteras suas, beneficium absolutionis et reconciliationis ac rehabilitationis devote accipiat a suo Priore cum injunctioe poenitentiae salutaris. (Pr. Cathalonias).
- 1910.- 1572: Et D.N... exerceat officium Procuratoris, et caveat ne affectu parentum inordinate moveatur, super qua re Prior invigilet. (In Domo Bonae Fidei - Pr. Aquitanias).
- 1911.- 1585: Et Monachi Professi Domus Repausatorii non ita admittant consortia saecularium et maxime parentum. (Pr. Gebennensis).
- 1912.- 1586: Et D.N... cesset interpellare Reverendum Patrem et Capitulum Generale pro parentum visitatione et inordinata divagatione. (In Domo Papias - Pr. Lombardiae propinquioris).
- 1913.- 1592: Et D.N... in Domo de Aniago acquiescat litteris et consiliis Reverendi Patris Prioris Cartusiae, revocantes hactenus inusitatam in Ordine factam eidem a Patribus Commissariis licentiam adeundi domum matris pro ejus levamine, ejus curam Priori suo committimus non aliter quam propriae. (Pr. Castellae).

II. PARENTES [1913]

[1914] PARENTES

1914.- 1595: In Provinciis Italiae: De caetero nullus Monachus
petat licentiam exeundi Monasterium ut procuret negotia pa-
rentum, alioquin comedat ad terram quoties petierit et nun-
quam exaudiat.

1915.- 1645: Et Fr.N...qui ut pergeret Niceam ad tractanda ne-
gotia parentum, callide extorsit licentiam a suo Superiore,
falso asserens obtinuisse illam a Patre Convisitatore, in
qua transgressione mansit a prima hebdomada Quadragesimae
usque ad vesperam in die Parasceves teneat cellam pro carce-
re tribus mensibus cum restrictione victualium. (In Domo
Vallis Pisii - Pr.Lombardiae).

1916.- 1794: Nullus recipiatur propinquus, vel consanguineus
Prioris Berezae in Domo ultra aliquot dies hospitalitati
convenientes. (In Polonia).

=====

PATIENTIA IN OFFICIO:

1917.- 1394: Priori Tornaci non fit mia, et habeat patientiam in
officio suo, quia non est solus in tribulationibus; (Pr.Pi-
cardiae).

1918.- 1412: Reverendo Patri nostro Domino Priori Gartusiae non
fit misericordia; quem exhortamur in Domino ut in tribula-
tionibus suis habeat patientiam propter Deum: (Hoc anno Ca-
pitulum incipit disponere de Reverendo Patre).

1919.- 1447: Priori Domus Bassaevillae non fit mia, et seriose
inducimus eum ut propter sanctum mentem obedientiae et Or-
dinis incrementum patienter perseveret in dicta Domo, conti-
nuando labores quos laudabiliter incepit. (Pr.Franciae).

1920.- 1447: Et D.N...perseveret cum exemplari patientia in la-
boribus suae procurationis...(In Domo prope Parmam - Pr.
Lombardiae propinquioris).

1921.- 1449: Priori Domus prope Bernam, ob magnam et affectuo-
sam sui instantiam, qua se scribit cura et sollicito regi-
mine dictae Domus, hoc perplexo tempore, nimium praegravari,
fit mia; et electionem futuri Prioris remittimus ad Conven-
tum.....(Idem reelectus est). (Pr.Rheni).

1922.- 1451: Priori Domus Montis Dei fit mia, et quia dictus
Prior, postquam fuit electus et praefatus, a dicta Domo
contumaciter bis recessit et fardellum suum ad Domum suae

[1922] PATIENTIA IN OFFICIO

II. PATIENTIA IN OFFICIO [1931]

- Professionis reportavit, et Visitatores importune de sua absolute molestavit et incessanter molestat et dictam Domum et fratres ejus apud extraneos diffamavit, et Domum praedictam damnificavit, revertatur ad Domum suae Professionis et sit in disciplina generali per unum annum vel ultra ad Ordinis voluntatem. (Pr. Picardiae propinquioris).
- 1923.- 1455: Non obstante plurima instantia Prioris in Pletriach pro relevamine oneris ordinariae Visitationis pro consolatione sui Conventus, habeant sui conventuales bonam patientiam, quia oportet ipsum in Visitatoris officio perseverare. (Pr. Alemanniae Superioris).
- 1924.- 1463: Reverendō Patri non fit mia. Et ipsum exhortamur in Domino ut conformando se voluntati Dei et Ordinis in officio assumpto habeat patientiam, et ipsum exerceat propter Dei honorem et bonum Ordinis incrementum.
- 1925.- 1463: Et D.N. Procurator Domus Bonipassus attento quod est necessarius dictae Domui et quod Prior et Conventus sunt bene contenti de eo, remaneat in eadem Domo. (Pr. Prov.).
- 1926.- 1489: Et hortamur Priorem Domus in Gemniko (et Visitatorem) in Christo ut patientiam habeat in utroque officio in sancta obedientia, et si forte gravatur nimia cura Domus suae, recipiat officiales fideles quibus exteriora quibus gravatur ob expedienda committere poterit. (Pr. Alemanniae Superioris).
- 1927.- 1490: Hortamur Priorem Domus Herbipolis ut propter bonum obedientiae in cruce patienter perseveret, donec aliorum manibus deponatur et de caetero pro ipsius absolute Capitulum non infestet. (Pr. Alemanniae Inferioris).
- 1928.- 1494: Et Prior Domus Belriguardi habeat patientiam de sua absolute a Prioratu quia Capitulum bene est informatum de suo regimine. (Pr. Tusciae).
- 1929.- 1500: Et Prior Domus de Covis habeat patientiam bonam in obedientia sibi injuncta, et sit magis sollicitus circa temporalia et observantiam regularem. (Pr. Castellae).
- 1930.- 1500: Et hortamur Priorem Domus Confluentiae ut rejecta pusillanimitate, patienter se habeat in obedientia sibi imposita. (Pr. Rheni).
- 1931.- 1511: Priorem Domus Vallis Sancti Petri hortamur in Domino no quatenus pusillanimitate deposita, officium sibi creditum diligenter et patienter exercere studeat. (Pr. Picardiae)

[1932] PATIENTIA IN OFFICIO

1932.- 1521: Et Priorem Domus Nurembergae hortamur ut onus Vi-
==== sitatoris suis humeris injunctum patienter ferat.....
(Pr.Alemaniae Inferioris).

1933.- 1524: Priorem Domus Erfordiae in visceribus Jesu Chris-
==== ti exhortamur ut injunctam sibi obedientiam pro Dei et Or-
dinis honore patienter ferre ac diligenter subditorum salu-
ti intendere curet. (Pr.Alemaniae Inferioris).

1934.- 1524: Priorem Domus Moguntiae exhortamur ut officium
==== Prioratus a Capitulo sibi injunctum, juxta gratiam a Deo
sibi datam, rejecta pusillanimitate, diligenter exerceat.
(Pr.Rheni).

1935.- 1527: Et Prior Domus Hassiae in suis maximis tribulatio-
==== nibus propter Christum habeat patientiam. (Pr.Alemaniae
Inferioris).

1936.- 1528: Hortamur Priorem Domus Rutilae ut talenta a Deo
==== sibi concessa lucris exponat feratque aequanimiter seculi
hujus malitiam, recepturus quandoque a Domino mercedem condi-
gnam suorum laborum. Et personae ejusdem Domus quiete vivant
memores sui arrepti propositi, variis quoque tentationum sti-
mulis abjectis, divino amori se deputent. (Pr.Rheni).

1937.- 1530: Et hortamur Priorem Domus Lanceae ut in sancto Dei
==== et Ordinis nostri zelo stabilis et immobilis permaneat, at-
que infracto animo mundi hujus adversitates toleret, memor
verbi Jesu dicentis: "Beati qui persecutionem patiuntur pro-
pter justitiam..." Quod autem ex nobis est, spirituali bene-
ficio ejus laborem et decorem compensabimus. (Pr.Gebennensis)

1938.- 1531: Priorem Domus Vallis Omnium Sanctorum in Maurbach
==== hortamur in Domino ut manum Domini patienter ferat, conso-
lationem omnibus corde tribulatis promissam a Domino expec-
tans. (Pr.Alemaniae Superioris).

1939.- 1531: Priorem Domus Boni Lapidis in Domino Jesu adhorta-
==== mur ut patienter onus sibi impositum ob amorem ejusdem
Christi ferat, ac diligenter invigilet circa Domorum perdi-
tarum recuperationem ac disciplinae regularis instauratio-
nem. (Pr.Alemaniae Inferioris).

1940.- 1533: Et Prior Domus Campensis velut necessarius illi
==== Domui, in sancta obedientia, Christi exemplo, perseveret.
Est enim qui laborem et dolorem ipsius considerat, et mer-
cedem tribuet. (Pr.Theutoniae).

[1940] PATIENTIA IN OFFICIO